





1
7
96
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.7.96/a









PETRI FRANCII
EPISTOLA PRIMA
Ad
C. VALERIUM ACCINCTUM,
Vero nomine
JACOBUM PERIZONIUM,
Professorem Leidensem:

Qua vera causa obortae nuper inter illos inimicitiae, & nuda ac simplex facti narratio continetur.



AMSTELODAMI
Typis THEODORI BOUTEMANNI.
cIↃ IↃ CXCVI.

2



Candido & aequo Lectori S. P. D. PETRUS FRANCIUS.

T*Empus ad hoc, lustris jam bis mihi quinque peractis.*
Omne fuit Musae carmen inerme meae.

Liceat enim cum meo me ordiri Ovidio; nam eodem propemodum aetatis spatio, quam ille tum egit, peracto, meum item ego sum expertus Alastora, ut ille suum. Non desuerunt scilicet ab omni aevo invidi homines & maligni, qui praeclara morderent ingenia, &, quod ipsi praestare non possent, in aliis carperent: ut enim umbra corporis, ita virtutis comes invidia est. Idem videlicet mihi subeundum fuerat fatum, qui uti viris istis praestantibus nec ingenii nec doctrinae laude me parem puto, ita in hoc certe cum illis aliquam habere similitudinem videor. Quippe quum pacem sectatus sim hactenus & quietem, neque ullum omnino bonum cum animi illa tranquillitate duxerim comparandum; & per omnem vitae meae decursum ab omni semper lite & con-

contentione abstinere studuerim ; nec cum quoquam unquam mortalium ullas susceperim inimicitias ; extitit quidam nuper, qui ab isto me vitae proposito revocaret, homo pacificus, & ingenii minime mali, sed qui per aliquot jam annos continuos rixas istiusmodi litterarias fovet, ac nutrit, & cum omnibus paene hominibus bellum gerit. Is cum variis me carminibus lacessisset, ineptis illis quidem ac plane ridiculis, & nullo prorsus Attico sale, sed felle tamen multo ac veneno oblitis; meamque non minus famam, quàm artem, quam profiteor, proscidisset; visum fuit illi reponere aliquid, & Epigrammate uno aut altero lusi cum homine potius, quam quod ullum in eum convitium jecerim, aut dictum aliquod virulentem. Cum non desisteret, & ex obliquo me invaderet denuo, occultato semper & celato nomine, provocavi istorum auctorem versuum, fateor, acriore paullulum carmine, quicunque tandem is esset, ut è latebris ac speluncis prorumperet, & nomen ederet suum. Nec vero alio sese ullo indicasset modo. Moris enim est hominibus istis, non rectam instruere aciem, sed ex occultis insidiis in hostem impetum facere, & *latrunculorum* turpium *instar*, *furari victoriam* potius, quod sibi ille indecorum putabat, quam aperto Marte contendere. Et sane cum Philippo bellum gerere malunt, quam cum Alexandro; id enim tutius multo, multoque securius. Nam & quidvis in quemvis dicere possunt, dum latent: &, ubi dixerint, omnem rei invidiam à se derivant, Sic ut *impar congressus* cum isto genere hominum futurus sit illis semper, qui recta, ut decet, ac regia, procedere volent via neque enim ullum est veritati cum mendacio ac dissimulatione commercium. Eandem fortasse sortem verendam mihi-

ani-

animadverto, & ut pro Aggreſſore & Convitiatore à nonnullis habear etiam, nam & ſuos ille habiturus eſt aſſeclas, futurum plane praevideo; ſed meae ratio vitae, & animi mei indoles, & ipſius hiſtoria facti, ab iſto me facile crimine vindicabunt. Sed quisnam eſt iſte, quem dicis, adverſarius tuus? liquido affirmare non poſſum. Ipſe enim non indicat, & quamvis ſe ſatis cognitum dicat, ſubinde tamen refugit rurſum, & ſuos ſe condit in ſaltus; nunc *cum aliquo, nec ignoto* mihi homine, nunc *cum Nemine* certamen futurum affirmat; nunc *à ſe profecta omnia confitetur*, quaecunque in ſcriptis iſtis Eriſticis continentur, nunc ſe *ſcriptorum iſtorum auctorem negat:* ſe tamen *Scurram* illium *Litterarium* agnoſcit, quem ultimo meo Epigrammate deſignavi. Ego vero neminem nominavi, & in ſolum carminum iſtorum auctorem meum illud carmen conſcripſi. Ego auctorem iſtum *ſcurram litterarium* voco, quicunque ſit iſte, & ſuo, ut puto, merito: is *auctorem* eſſe ſe negat; *ſcurram*, affirmat. Quae haec eſt argumentatio? ego ſophiſticam iſtam non capio, & tibi, *vir bone*, qui melius illam calles, univerſam cedo. Sed utcumque celare te cupias, & tecto, quanquam non incognito, in ſcenam prodeas nomine, imprudenti tamen ἀκρισίᾳ & ἀβλεψίᾳ prodidiſti te turpiter. Vide quid in epiſtola tua nupera ſcripſeris principio paginae quartae; cujus in aedibus fueris; quid ibi rei ſit geſtum. Aedes erant, ut ipſe ſignificas, Jani Broukhuſii, amici, ſi tui, certe & mei: nam *iſte*, *quem tuum putas*, potiore ſane jure, & priore, *meus eſt.* una nobiſcum tum aderat, J. Galleus, verbi divini Miniſter Campenſis; quod non memineras, credo, aut damno tibi futurum non cogitabas. Teneo enim te, & quidem fortuis, quam ille Africam; teneo

 ἐπ'

ἀπ' ἀντιφόρῳ; & teſtes hujus habeo rei non unum aliquem, quem ſubterfugeres, ſed duos, probatiſſimae fidei, & priſci candoris homines, qui veritati huic ſubſignare, & teſtimonio, ſi opus eſt, publico, adeſſe mihi non recuſabunt. Iſte ergo praeter hos quartus, ut tu dicis, *Valerius* quidam *Accinctus*; ut ego, *Jacobus* eſt *Perizonius*. Hic ergo *Accinctus Valerius*, vel *Jacobus* hic *Perizonius*, quo enim nomine appellari velit inpoſterum, neſcio; hic *Valerius*, inquam, *Accinctus*, ita enim vocare nunc libet, donec ſuo ſe ipſe appellaverit nomine, virulentam pro more ſuo ſcripſit Epiſtolam, qua mihi optat, cujus ipſe maxime indiget, *bonam mentem*, in cujus ſane ille *ſacraria* penetravit nunquam: nam ſi vel micam bonae mentis haberet, nullos profecto verſus conſcriberet. Sed de facultate ejus Poetica, ut & de hac ipſa epiſtola, plura videbimus poſtea. Id unum de ea nunc dicam, nihil in ea leporis eſſe aut elegantiæ, & ſalis illius urbani, quo iſtiuſmodi generis condiri ſcripta oportet; neque quicquam in ea conſpici, praeter livorem & maledicentiam. Ei ergo epiſtolae miſerabile quoddam praefixum eſt Epigramma, de meo conſarcinatum, & infelici παρῳδίᾳ tranſpoſitum, in quo praeter convitia caetera, *ſcurram* me *barbarum* vocat. Quonam ego jure ſim *barbarus*, & an non ipſe ſit potius barbariae nota inſigniendus, qui me *barbarum* vocat, cum maxime non examinabimus. uter noſtrum ſit *ſcurra*, hoc eſt, uter ſcurriliter egerit, & *ſcurrae* potiſſimum titulo ſi honorandus, quoniam famae eſſe potior cura, quam doctrinae, debet, diſceptare nunc tecum libet, *Valeri*, ut te vocas, *Accincte*. Quid agis autem, mi Franci? *validum* ac *valentem* adverſarium vides, jam *accinctum*, jam paratum ad praelium, & ipſo terrorem no-

nomine circumferentem. mutatum eſt genus pugnae; inferior eris, ſuccumbes; cede, fuge, & aliquas te in latebras abde.

O coelum! o terra! o maria Neptuni!

quas latebras petam? quem me in ſinum abſcondam? venit, venit, & magno appropinquat paſſu

——— βαρυμάνιος ἥρως,
——— ἀνὴρ τεσσαρακαιδεκάπηχυς.
——— πεινᾶντί γε μηδέποτ᾽ ἄντης.

Noli, noli inquam, homini iſti jejuno occurrere. Cave cave, τὸν Μαςιγοφόρον, τὸς Μαινόμενον τῦτον.

——— ἐντί γέ πικρὸς,
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

At heus tu, *mi homo*, ut tuum tibi reddam vocabulum, quem tu eſſe me putas? puerum, credo: te vero, terriculamentum, opinor, & μορμολύκειον, aut malum quempiam Genium. Iſtud quidem poſtremum conceſſero lubens. Quid eſt ἀεροβατεῖν, ſi hoc non eſt? novum videre mihi videor Pyrgopolinicen. Teutobochi, aut Vercingentorigis adoptare nomen oportuit, ſi ipſo terrorem nomine voluiſſes incutere. Quanquam & aliud tibi nomen induere potuiſſes, paullo ſpecioſius. Poteras enim te *Phyſignatum* appellaſſe, σκηπτοῦχον illum βαςιλῆα, qui cum Achille hoc commune habebat, quod eſſet Pelei filius. Poteras & *Pſicharpax* dici, ὁ τῦ Τρωξάρτυ. nec immerito. ut enim tu Criticorum & Grammatiſtarum omnium Princeps audis & Coryphaeus; ita hi Duces fuerunt & Anteſignani totius βατραχομυομαχίας. Sed extra riſum & jocum: rem ipſam conſideremus, & ſine ampliore praeludio id quod agendum agamus. Statui ego, nihil tecum contendere hodie: ad cavillationes tuas Grammaticales reponam ali-

aliquid brevi; ne istam me pugnam declinare existimes: ultimo, ad tuam tibi epistolam respondebo. Nunc, ut dixi, brevem ac simplicem rei gestae historiam concinnabo. Patere ergo, candide & nullo partium studio abrepte Lector, ut hujus tibi facti narrationem aperiam verbis, ut potero, quam paucissimis.

Cum, continuato per aliquot annos in Frisia cum collega bello, premi se ab eo videret *Valerius*, ita enim dici nunc amat, *Accinctus*, de alia sibi conditione circumspicere coepit. Non incongrua nec adspernanda ei provincia visa est Amstelodamensis professio. Tentavit id clanculum Noster per suos in id emissarios. cum res non procederet, neque augendus hujus urbis videretur numerus Professorius, alia occasione paullo post affulgente, relicta, quam oderat, Frisia, in Lugdunensem profectus est Academiam. Dum Amstelodamum interim, pro more, excurrit, offendi hominem in Bibliopolio Wetsteniano. Sermo inter alia fuit de hoc ipso negotio. Dixi, mihi non placere istas supplantationes; neque pro amicitae jure factum videri. Ille negare rem factam, ut solet scilicet, nec quicquam se molitum fuisse sanctissimis mihi verbis asseverare. si alius id fecisset, se inscio factum esse. Credidi ego tum homini, & istam à me suspicionem amoliturum me esse respondi. Quanquam cui credibile videatur, id ipsum aliquem ausurum fuisse, eo prorsus ignaro, ad quem res ista potissimum pertineret; Post paucos deinde dies, cum clarissimo Graevio, & amicis plusculis aliis, in aedibus fuimus Jani Broukhusii, amici mei singularis. Edimus, bibimus, confabulamur; amicè geruntur omnia. Graevium ad navem deducimus;

mus;

mus: imus exſpatiatum: in via occurrit Coetierius, Profeſſor nunc Franequeranus, & in hujus illic ſubſtitutus locum. Quid multa? totum huc diem fabulando transigimus. Forte ad manum tum mihi erant quaedam diſcipulorum meorum exercitia publica, verſus quidam Latini, & orationes duae Graecanicae. offero tria exemplaria Coetierio, duo Perizonio (*Accincto* volui dicere) cnm hac excuſatione, me plura nunc non habere: ipſum eſſe in vicinia, nam jam Leidam erat vocatus; plura me miſſurum, ſi vellet; hominem peregrinum illum alterum eſſe. Ludo peracto, diſcedimus. Quis non in ſolidam cum iſto me homine rediiſſe gratiam putet? ita certe credebat Janus Broukhuſius, &, qui aderat una, Henricus Wetſtenius. Aliquid mali ulceris remanſit in malo pectore. Poſt pauculos enim dies, cum ad Janum veniſſet Broukhuſium, & neſcio quid de me murmurare inciperet denuo, mirari ſe dixit Broukhuſius, quod ſic erga me eſſet affectus, amicus jam factus, ut putabat, meus. Neutiquam, vero; at ille. Quid ita? ſubdit alter. Non vidiſti, inquit, (nota rem, quaeſo, ridiculam, ac penitus puerilem, quiſquis es, bone Lector, & ab hoc uno exemplo ingenium homminis animad verte) non vidiſti, (arrigite aures, Pamphilli, rem enim notabilem audietis) cum traderet nobis nuper diſcipulorum ſuorum exemplaria quaedam, tria dediſſe Coetierio, mihi duo?

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Riſit certe Broukhuſius, & rem iſtam valde ſibi videri ridiculam affirmavit. Subiratus reſpondit ὀπτάνυ, *Tu, ſi Hic eſſes, aliter ſentias.* Quid videtur Lectores? Eos ipſos appello, qui huic maxime homini favent. Poſtquam haec ita, ut expoſui, geſta eſſent, & male

ex illo animatus erga me esset *Accinctus*, accessit alterum quiddam, ex occasione, quod facem huic admovit incendio. Nam cum ad Stationem Leidensem vocatus jam esset *Valerius*, orationi ejus inaugurali carmen quoddam Graecanicum quidam addidit juvenis, qui, cùm Latina & commoda terminatione *Jensius* dici posset, rudi tamen sono & aspero, sibi vero suavi prorsus ac jucundo, *Jens* appellari maluit hactenus, ut ex ipso statim nomine barbarum esse hominem appareret. Id uti a me conspectum est carmen, sua mihi pariter vitia praebuit conspicienda, quae sane magno numero erant, & plane enormia. Ea amicis meis dixi & ostendi compluribus: Graevio inter alios & Broukhusio, quorum ille ad rem novam & invisitatam, & vix etiam, dum videret, credibilem, tamquam ad clypeum Persei, & monstrum quoddam Medusaeum, obstupuit plane ac diriguit; alter, nihil se novi videre, dixit. Hic fons mali, atque omnis exinde rixae & contentionis verissima scaturigo. Rumor iste interim spargitur, & Leidensium etiam Professorum aures implevit; percelluit propemodum dixeram; adeo nunc quoque omnem mihi penitus mentem malum istud eripit carmen. Post dies non ita multos vetus meus ad me hospes devenit Jacobus Gronovius. Is à me scitatur, num ego essem, qui tam multos in eo carmine naevos esse contenderem? ita, inquam. ubi illi essent? in carmine. ubi id esset? in cubiculo. videre se velle; recte, inquam; sed mihi non credis? suis id se oculis usurpare malle, respondit. abii, quaesivi, ostendi. Quid tum ille? nihil. prorsus nihil? nihil, inquam; nisi hoc unum; carminis istius auctorem istam sibi licentiam permissam existimare. Redit Leidam Gronovius: scribit epistolam

lam Jenſius; & ut ſuos ſibi naevos oſtenderem, obnixe rogat. Sùſpecta mihi iſta fuit epiſtola: nihil reſpondeo. Ardeſcit illico juvenis, & parum aberat ſane, quin telum ſuae in me lucubrationis ſtrinxiſſet iſte feroculus. Tam gnaviter militare diſcunt ſtudioſi illi Leidenſes. Quid mirum? *Valerios* habent *Accinctos* ad iſtam militiam Campidoctores. ſed opportune hic ipſe me admonet verſus *Valerii* noſtri *Accincti*, quem ex oculis paene amiſeram, nam ut animo excidat, ubi nimis altas radices egit, non videtur metuendum magnopere. Is ergo, ut illius ad me collega, ad Janum inviſit Broukhuſium. de mea intemperantia queritur; ſe notari potiſſimum; per Jenſii latus ſe peti. Quaſi vero aut nobis non integrum eſſet, noſtram de iſtiusmodi ſcriptis ſententiam ferre, & in noſtro foro jus dicere; quod, extra territorium ſuum, in omnis aevi & generis ſcripta, ſibi licitum ac conceſſum putat Cenſor iſte ac Dictator perpetuus: aut magno illi ipſi honori ac gloriae foret, iſtorum ſe vitiorum, quorum tanta eſt copia, ne unum quidem ſuis conſpicere oculis valuiſſe. At vide conſtantiam hominis! qui primùm Jano Broukhuſio dixerat, ſe carmen id non legiſſe; poſtea ad eum reverſus (nam ſaepe illo itabat, & de eadem plerumque materia, haec illum urebat ſcilicet, cum eodem ſermones habebat) id cum Collega legiſſe ſe affirmavit; nec quicquam (ἀστοχίαν hominis obſerva, Lector) in eo vitii deprehendiſſe. Aliam ejuſdem peritiam animadverte, quaeſo. Eo uſque dementiae venit & imprudentiae, ut horribile hoc ſecretum apud hunc eundem amicum meum deponeret; ſe in Poetarum, Graecorum praeſertim, lectione, & legibus iſtis metricis, non ita eſſe verſatum. Nihil horum invenerat, credo, in *literis* ſuis *interio-*

 ribus

ribus. idem apud alterum ſuum collegam, Burchardum Volderum, ut ille mihi narravit, cum Leidæ eſſem nuperius, non erubuit confiteri. Hic iſte eſt Heros videlicet, qui omnes prae ſe barbares putat. Narro aliud quiddam, quod vix credibile videatur. Eidem Jano Broukhuſio, cum miraretur inſcitiam hominis, harum illum rerum plane ignarum eſſe, quae prima ſunt fundamenta litterarum noſtrarum, & in metricas leges peccare eum, qui publice Eloquentiam profiteretur, reſpondit, id ſibi vitio verti non poſſe, & (notate impudentiam hominis) *Eloquentiae Profeſſor iſta ut tam exacte intelligat, opus non eſſe.* Hic eſt *Validus* iſte *Valerius*, qui caeteros homines fungos putat. leges metricas ignorabit Eloqentiae Profeſſor? miror non & addidiſſe, Grammaticas. ſed aliter videlicet ipſum *litterae* illae *reconditae* docebant ſuæ. Quid dicis, quicunque haec legis? Credis? an confictum a Poëtis exiſtimas? Magna eſt Poetarum licentia, non tanta tamen, ut in ſoluta illis oratione mentiri liceat. *Valeriorum* id eſt, & *Accinctorum*; neque iſtam nos gloriam affectamus. Vides, opinor, Lector, inſignem audaciam hominis, pari cum ignorantiâ impudentiaque conjunctam: nec ſine mente eum eſſe tantummodo, ſed & ſine fronte, & veteri illi Domitio ſimilem Ahenobarbo, de quo ſe non mirari dicebat Licinius Craſſus, *quod aeneam haberet barbam, cui cor plumbeum eſſet, os ferreum.* Quin ad carmen iſtud Graecanicum, & iſta, quae dixeram, vitia, redibat denuo, & ut oſtenderem illa, ſi poſſem, flagitabat: quaſi non oſtendiſſem Collegae; aut ille id ei non ſignificaſſet. Sed quaerebat videlicet homo ligitioſus aliquam litigandi anſam: nec futurum, ut opinor, credebat, aliquid videre me poſſe, quid ipſe non

non viderat; aut nunc esse vitia, quae ille, ut insignes modo virtutes, fuerat admiratus. itaque instare ille continuo, & urgere, nec esse, quae dixeram, vitia, clamitare. Sunt tamen, quantum ego intelligo, inquit alter. Cur ergo id non ostendit? quia non amat lites. quia non potest, subjungit ille. ostendat, si vir est: si potest. Habitis hisce inter utrumque sermonibus, non sine clamore & jurgio, & acuta satis voce, ac *valida*, ex amici mei domo descessit *Valerius*, placido parum animo & quieto: ac, nisi cum milite res sibi fuisset, jam ad praelium, credo, se parasset *Accinctus*. Haec ego ex amico meo illo audivi plus semel: haec, pro indole animi mei, pacis potius & quietis amante, quàm litis, ne ullo cum quoquam modo in publicam arenam descenderem, facturum me recusavi; cum ab eo ipso toties provocarer, qui nunc me *Provocatorem* appellat. Scio enim quam turpe sit ilud, & honesto viro indignum, nec nobis tantum, sed studiis nostris communibus, damnosum maxime, & nocivum, contentiones litterarias istas inter sese conserere homines litteratos, de rebus non magni momenti plaerumque, vel nullius potius, & de caprina, ut dicitur, lana. Detestatus sum illud semper & execratus, quod non tam verbis, quam rebus, & toto vitae meae genere, probare videor posse. Hoc enim est primum scriptum Eristicum, quod unquam à me productum est: cum *Valerius* noster *Accinctus*, nihil fere aliud egerit toto septennio. Declinassem igitur lubentissime & hoc certamen, & declinavi sane tam diu, quam potui, immo ultra quam debui forte: sic ut amici me mei crebris subinde sermonibus admonerent, ac suis quoque convitiis, amicis tamen, proscinderent, & incitarent, ut insano-

huic homini regererem viciſſim aliquid, & *σφάλματα* carminis iſtius omnia facerem manifeſta. Quod ſi prima ſtatim vice factum à me fuiſſet, nihil illi; contra hiſciturum fuiſſe hunc blateronem exiſtimant. Nec praeter verum fortaſſe, cum *animi mei lenitatem* illam, ſegnitiem ac pigritiam, imbecillitatem etiam & *ἀδυναμίαν*, ſit interpretatus; quam falſo, *perpetuam fore*, ſibi promiſerat. His ac ſimilibus irritatus ab iſto homine, ac provocatus injuriis, ne verbum quidem ullum repoſui; aut carmen illud ipſum in lucem miſi, cum annotationibus brevibus, & ſimplici Veterum auctoritate, ut mei me monebant amici. Ille interim non ceſſare, lapidem omnem movere, telum circumſpicere, donec Oratione illa ſua in Reginae funere nupera, miſſile quoddam telum libravit, ac ſuam in me bilem evomuit. Ego rem tam indignam non ferens, & juſta, ut opinabar, indignatione commotus, neque tam meam cauſam agens, quam publicam, alio illum miſſili impetivi. Urebat hoc hominem plurimum. Aliud continuo in me telum contorſit; ego, viciſſim aliud; donec, poſt plura hinc inde miſſa, nobilem illam tandem, ac praeclaram, conſcripſit Epiſtolam. Habes, Lector, ſimplicem facti narrationem, ut promiſeram; uti & neceſſarium videbatur; quoniam hic in illud, ille in aliud rurſum, meum aut *illius*, incidens ſcriptum, & aliquam tantum partem, eamque ultimam ferè, litigii hujus noſtri intelligens, non recte ſatis de toto hoc noſtro judicare negotio poteſt. Nunc probanda ſunt ea, quae dixi, & confirmanda, ut certis indiciis & argumentis, ac rebus ipſis appareat, quid de utriuſque noſtrum ingenio, ſtudiis, moribus, & his ipſis ſcriptis, ſit ſentiendum. E quibus, ut opinor, luce clarius apparebit; uter agreſ-

ſus

fus ſit alterum, & laceſſiverit prior; uter ſcurriliter egerit, & honorabilem illum *ſcurrae* promeruerit titulum. Sed ad rem tandem, hoc eſt, veram & genuinam diſſenſionis hujus omnis materiam, veniamus, ac fomitem. Heus tu! cedo carmen Graecanicum. En illud ipſum.

ΕΥΦΗΜΙΑ

Κυδίστῳ καὶ εὐδοκιμοτάτῳ Ανδρὶ

ΙΑΚΩΒΩ, ΠΕΡΙΖΩΝΙΩ,

Ιστοριῶν, Ελλάδος Φωνῆς, καὶ Ευφραδίας ἐν τῇ τῶν
Βατάβων Ακαδημίᾳ Εξηγητῇ
ἀξιώτατα χειροτονηθέντι.

Ὦ'ς ἀγαθῇ τύχῃ, ΛΟΥΓΔΟΥΝΟΥ κλυτὰ πόληος
Μοῦσαί τε καὶ χάριτες δώματ' ἔχουσαι σοφῆς,
Υμέτερον κλέος κόσμον τε ΠΕΡΙΖΩΝΙΔΗΝ
Νῦν κτᾶσθαι δέδοται κτᾶσιν εὐχομένῳ.
Πολλάκις ἐκ ΦΡΙΣΙΗΣ ΒΑΤΑΒΗΝ κικλήσκετ' ἐς αἶαν
Ανέρα, ὡς Μύστην ὕμμιν ἐεσσόμενον.
Πολλάκις ἐκ ΦΡΙΣΙΟΥ ἀντεβόλησεν ἔρως.
Αυκαίου ΦΡΙΣΙΟΥ ἀντεβόλησεν ἔρως.
Αλλὰ τέλος πείθῃ, τόδε χ' ὑμῖν κορώνην ἔελδωρ,
Καὶ διὰ ὑγρὰ Νότου δεῦρο κέλευθα κίεν.
Τόν δε Διὸς κοῦραι Μοῦσαι χάριτές τε γλυκεῖαι,
Χερσί τε καὶ ἱλαρῷ δεξιόουσαι θυμῷ,
Υ'μετέρην ἐς ΛΕΙΔΑΝ ἄγεσθε, καὶ ἐν μεγάροισιν
Ι'δρυσθ', οἷς ναίει Τριτογένεια σοφή.
Φῶς δ' ὅδε σὺν κροτέοις καὶ θαύμασιν εἰροροώντων,
Θεατρικὸν βαίνει σεμνοπρεπῶς ἐφ' ἕδος.

Εὐτυ

Εἶτα λιγύφθογγόν τε καὶ ἱμερόφωνον αὐδὴν
  Γλῶσσα λύουσ᾽ ἀνθεῖ ῥήμασι θελξινόοις.
Ῥώμη παγκρατέουσα, καὶ Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι
  Ἄφθιτον εὐλογίης κῦδος ἔχουσιν ἑῆς.
Ἐσθὲ ΠΕΡΙΖΩΝΙΔΗ, πιστὲ παραινετὰ, πενθεῖς
  Σπουδάζεις τ᾽ ἀνάγειν γράμματα φθεγγόμενα.
Ἑλλαδικῆς τε καὶ Ῥωμαϊκῆς ἀσκήματα γλώσσης
  Δεικνύεις κρήνας ἔμμεναι πανσοφίης.
Ἡ μὲν Δῖα τεοῖς Πειθὼ στομάτεσσιν ἐφίζει,
  Καὶ ψυχαγωγεῖται εὐφραδίαισιν ἑαῖς.
Μοῦσαι τε καὶ χάριτές σου ἱμερόεσσαι δάπεδον.
  Κτυποῦσιν ποσὶν οἷς γηθόμεναι χορηγοί.
Ἥβη παλλαδικὴ ἀσπαζομένη σε προπέμπει
  Οἰωνοῖσι καλοῖς, πᾶσά τε συγκροτέει.
Καὶ μὴν ἐγὼ θεράπων Μουσῶν, Φοίβοιό τ᾽ ἄνακτος,
  Ἑρμῆς αὐτὸς ἐμῆς γηθοσύνης πέλομαι.
Καίπερ ἐὼν μὴ Τειρεσίας, Κάλχας τ᾽ εὖ εἰδὼς,
  Μαντεύεσθαι ὁμῶς νῦν φίλον ἐστὶν ἐμοί.
Ἐκ τοι ἐρῶ, τόδε καὶ τετελεσμένον ἔσται, λύκαιον
  Ὦ ΒΑΤΑΒΟΝ, καὶ ἐνὶ βάλλεο σῇσι φρεσί.
Εὐλογίας φήμην δόξαν τε, σὺ τὴν ποτε εἶχες,
  Ἀρχαίην ὁράσεις αἶψα παλιγγενέη.
Κοσμεῖται κράτιστος ἐπεί σε δυοῖν ζυγὸς ἀνδροῖν,
  Τὼ θεὰ τετθοῖσιν Παλλὰς ἔτρεφεν ἑοῖς.
Ἔστι δὲ ΓΡΩΝΟΒΙΟΣ, λαμπτὴρ σέο, καὶ μέγα φάος,
  Ἄξιος ἰδμοσύνης κληρονόμος πατρικῆς.
Χὤτερός ἐστι ΠΕΡΙΖΩΝΙΔΗΣ, ἐν μεγάροισι,
  Σοῖς μάλα τιμηθεὶς, καὶ γέρας εὐκλὸν ἔχων.
Ἄνδρε δύω, σπουδῶν ΖΩΝΗ, ζευχθέντε ὁμοιῶν,
  Εὐνοίας τ᾽ ἴσαις σφίσιν ἀμειβομένω,
Ἄνδρε δύω τούτω, ΒΑΤΑΒΟΝ μέγα χαῖρε λύκαιον
  Κολληθέντε φίλοιν ἁρμονίῃσι θυμοῖν.
Ἑλλαδικῆς τε καὶ Ῥωμαϊκῆς κοσμήτορε, κ᾽ ἐσθλὼ
  Ἐξηγητὰ καλῆς ἐσσομένω σοφίης.

ΙΩΑΝΝΗΣ ΙΗΝΣΙΟΣ.

Hoc

Hoc eſt nobile illud carmen, quod tantas tragaedias concitavit. Liberum unicuique ſcribere poetae quod velit, & eo carminis genere, quod ipſi placuerit maxime; ea etiam lingua, quam amaverit plurimum. Hic autem, qui crebra jam Heroica ſcripſerat, multas praeterea Elegias, nonnullas etiam odas, & quaedam inſuper Epigrammata, ut nihil non poſſe videretur, & utramque ſe callere linguam oſtenderet, voluit etiam Graecae ſuae Poeſeos facere experimentum, ne quicquam mihi proprium relinqueret ſcilicet; ſimul ut omnibus faceret palam, Leidae etiamnum ſupereſſe *Danielem Heinſium*: quem cum ego verſibus meis Græcanicis imitari tentaſſem, idem & ille facere ſtuduit. Quae in eo eſt culpa? nulla: nigri livoris & inanis gloriolae aliquantulum tamen; ſed illud non culpo; laudo etiam, & juvare hominem vellem, ſi poſſem; adjuvi etiam, & *viam* illi monſtravi, *qua iretur ad carmen.* Nam cum ad aedes meas veniret aliquàndo, bono an malo animo, neſcio, ut apparet, malo; & de ſtudio nobis Poëtico ſermo eſſet; rogavi, quos libros legeret, nam id me videre non poſſe; reſpondit, omnes; antiquos & reeentiores; nunc hos, nunc illos; recte id quidem, inquam ego. Nunc Sannazarium penes me habeo, ſubdit ille; tum Barlaeum legam; deinde, Johannem Secundum. Hui! inquam, quid agis? tu cœlum terrae miſces, bonos cum malis confundis. De primo & tertio non male fortaſſe: de altero illo, non ſim auctor ut legas. Primum legendi ſunt Veteres, deinde Recentiores, quorum virtutes videre non poſſumus, niſi in Antiquorum lectione verſati fuerimus aliquamdiu. Quod magis ſincerum ac proficuum dare illi conſilium potuiſſem, ſi vel pater fuiſſem, vel frater, vel, quod tum eram, magiſter? Quam

deinde tibi gratiam retulit ? magnam ſe relaturum promiſit. quam retulit ? rogo. nullam, malam, peſſimam. Nam domum reverſus, omne id noſtrum colloquium (nam & plura fuerant alia, quae non hujus ſunt loci) narravit aliter multo, quam fuerat inter nos habitum; & pejorem quidem in partem. Redeo ad carmen Graecanicum, in quo ſive me iſte, ſeu Danielem imitari voluit Heinſium, ſcire ex eo potuit, ſi Graeca illius legit Poëmata, aliter ipſum feciſſe: diſcere etiam potuit ab eodem, & ex praefixa iiſdem illis Poematibus Praefatione, aliter fieri oportere. Sed ipſa tandem carminis illius vitia videamus.

I. Ὡς ἀγαθῇ τύχῃ) Producit, ut vides Lector, primam in τύχῃ, in qua falſum eum fuiſſe exiſtimo. Brevem, eſſe ſcio; longam, neſcio. Videatur εἰς Τύχην Titulus, Anthologiae libro primo, ubi plura ſe oſtendent exempla, & hoc inter alia:

Παίγνιόν ἐςι τύχης μερόπων βίος.

II. Κλυτὰ πέληος δώματα) primam in κλυτὸς hic noſter producit, Homerus corripit.

—— κλυτὸς Ἐννοσίγαιος,
—— ἀπὸ κλυτὰ τεύχεα δῦσαι.

& alibi paſſim.

III. Μῦσαί τε καὶ χάριτες) τὸ αι corripit ὁ ποιητὴς: ita enim ipſe ſe vocat, dum Bruxellanas ruinas contemplatur, Poeta. Scio illud commune eſſe, & nunc ab Homero produci, nunc corripi; ſed ſequente vocali, ne erres, ô bone. unquam vero brevem eſſe diphthongum aut iſtam aut aliam, apud ullos bonos ſcriptores, conſona ſubſequente, non memini me legiſſe, nec aliquod adduci poſſe exemplum exiſtimo. idem tamen vitium in uno & eodem carmine committit decies, ut in hujus ipſius verſiculi altero membro,

—— δώματ᾽ ἔχουσαι σοφῆς.

IV. Ὑμέτερον κλεῖος κόσμον τε Περιζωνίδην) obſerva, Lector, verſum numeroſum & ſuavem, ne te praetereat quicquam, neque expers ſis ſuavitatis iſtius Poëticae, quam amabat tantopore Atticus, Scio ſpondaicos ſaepe verſus in optimerum Poëtarum ſcriptis occurrere, ſed ſtudio id fit apud eos, & non ſine magno judicio, & certa quadam ratione. nunquam caſu, aut inopia, ut hic fecit miſellus. Plura produci poſſent exempla, & infinita, ſi id nunc agere vellem. Scio liberiorem apud Graecos eſſe licentiam, ſed nobis non facile, & cum judicio, imitandam.

V. Κικλήσκετ') quod an ſit κικλήσκετο an κικλήσκετε non apparet, propter apoſtrophum. obſcurum itaque eſt, & intelligi nequit. Prius illud eſſe non poteſt, nam κικλήσκετο eſt *vocavit*; quomodo Homerus Iliados Λ, de Hectore,

——— ἄμυδις κικλήσκετο πάντας ἀρίστους.

convocavit extemplo omnes ad concionem Principes. κικλήσκετε vero eſt *vocaviſtis*, quem ſeuſum requirit hoc loco id verbi. Muſas enim alloquitur auctor, quas felices praedicat, ac fortunatas, quod nunc habeant (pro *miſello* illo *Morione* ſcilicet) *nobilem illam* & *deſideratam* tantopere *poſſeſſionem*, κτᾶσιν (ita mavult quam κτῆσιν) εὐχομένην, Perizonium nempe, *quem virum* (ſubjungit enim τὸ ἀνέρα) *ex Friſia in Bataviam ſaepius vocaviſtis.* Jam vero ſi eo ſenſu uſurpat, quo accipi neceſſario debet, ajo Grammaticum eum mendum commiſiſſe plus quam pudendum. κικλήσκω verbum Poeticum eſt, & idem notat, quod καλέω. habet autem in praeterito ordine naturali κεκίκλησκα, ut κεκάληκα, πεποίηκα, quod Poetico more, abjecto augmento, eſt κίκλησκα. Ignoſce mihi, *Valeri Accincte*, ſi in *interiores* deſcendam *litteras* tuas, qui harum rerum nullam intelligentiam habeo, qui non amo,

 niſi

nisi solos ingenii foetus, illos vero *eruditionis* odio habeo; qui non nisi *mediocre carmen*, *& miseram subinde orationem compono*; ignosce, oto, mi *Valeri*, ignosce; & tu una cum illo, bone Lector, si patientia tua abutor, & hisce te nugis detineo, quas tu mecum perpende, quaeso, paullo diligentius. Hoc sensu ergo τὸ κίκλησκα apud Homerum Ilidos B.

Κίκλησκεν δὲ γέροντας ἀριστῆας παναχαιῶν.

vocavit vero (Agamemnon sc.) *Seniores & Principes Graecorum.* Illud vero in secunda plurali habet non κικλήσκετε, ut hic est scriptum, sed κικλήσκατε, ut τετυφήκατε, πεποιήκατε. quo modo si scripsisset, res aperta fuisset, etiam cum apostropho. Addo κικλήσκετ' pro κικλήσκετο, esse tertiam singularem à κικλήσκην, illud vero κικλήσκατ', quomodo scribi debuit, pro κικλήσκατε, secunda est pluralis a Praeterito Indicativo, κίκλησκα. Haec ignorat videlicet ille, qui, nihil ignorare se putat; ὁ γραμματεύς! ὁ πάνσοφος; hunc errorum committit ille, qui eundem illum in suis sceptro Paedagogico vindicaret pueris Magistellus; haec ego docere vos debeo, qui nullos libros edo, nullas notas conscribo, & *ad stud i nunquam severiora digredior*. Sed de his, & pluribus aliis, videbimus Epistola Tertia. Quid ais, *Accincte?* putas me notulas scribere posse? haec enim docta sunt & erudita, & ex *litteris* tuis deprompta *interioribus*. Quid ais? credis haec me facere posse? credis, nisi mihi blandior, credis; quod & ostendam tibi fortasse aliquando. Scio quid dicturi sint Heroes nostri, &, si nesciant, suggeram. Vitium esse typographicum clamabunt illico. Euge! bene! recte!

Sic excusari crimina posse puto.

E media se Charybdi extricarent homines isti. Sed, antequam hinc discedam, audi *Poeta*, audi. Quod in hoc ipso

ipſo verſu praecedit, & quod per illud tuum πολλάκις, in ſequenti iterum verſu repetitum, nobis obtrudere vis, tu αὔξησιν vocabis Poeticam; ego, mendacium ſplendidum; tantum enim abeſt ut ſaepe ſit Leidam vocatus (ob inſignem, puto, eruditionem, & *litteras* illas *reconditas*) *Accinctus* hic noſter *Valerius*, ut ne ſemel quidem ego vocatum dicam, vel ſummum ſemel. *Tentatum*, ut dicitur, audio, an miſſis à Curatoribus litteris *vocatus* ſit autem & *appellatus*, nec ſcio, nec ſcire deſidero. ſufficit, verum eſſe, non *ſaepius* eum illò vocatum fuiſſe.

VI. In diſtichi hujus pentametro aliud obſervo mendum. eſt enim ibi — ὡς μύστην ὕμμιν ἐεσσόμενον. ἐσόμενον, & conſueta Poetis litterarum geminatione, ἐσσόμενον dici novi, ἐεσσόμενον vero dici, oſtendat ille qui ſcripſit, aut pro illo *Valerius*, qui multò eſt illo *valentior*. Sed & hoc fortaſſe mendum eſt typographicum. Quin ab eo ſponte quoque & ſtudio eſſe potuit factum, littera una per ipſum, vel Syllaba, (id enim perinde) iſti vocabulo addita, ut ignorantiam ſuam oſtenderet, libet enim nunc cum *Valerio* loqui, *productiorem*.

VII. Καὶ μὴ πείθεσθαι δύνατο) Tria in tam pauculis vocibus qui latere crederet menda? latent tamen. primùm τὸ καὶ corripit, conſonante ſequente, quod jam obſervatum: deinde, quaſi id ſuavius eſſet in πείθεσθαι, quod multo etiamnum eſt durius, ob conſonas geminatas, & proximo loco praecedentes: poſtremo ſecundam in δύνατο longam facit, cum corripi debeat. Certe ita ſolet Homerus. Iliad Γ.

Δοιὼ δ' οὐ δύναμαι ἰδέειν κοσμήτορε λαῶν.

& eodem in libro idem:

Ἀλλ' οὔτις δύνατο Τρώων, κλειτῶν τ' ἐπικούρων
Δεῖξαι Ἀλέξανδρον &c.

Et ita passim alibi semper. Sed melius, quam Homerus, fortasse id novit *Jensius*, ὁ ποιητής; qui novam nobis, ut spero, consarcinaturus est Prosodiam Graecanicam.

VIII. Λυκαίου φερσίου) Quis unquam primam in Λυκαίου produxit, nisi hic ipse? adeo pervulgata etiam ignorat & protrita. Prima in λύκος corripitur, ut in *Lupus* apud Latinos; & *Lycaon* apud utrosque. Unde ergo in λύκαιον, longa ista futura est syllaba? brevis sane est apud Theocritum idyllio, nisi fallimur, primo;

Ὦ πὰν πὰν, εἴτ' ἐσσὶ κατ' ὤρεα μακρὰ Λυκαίω
Εἴτε συγ' ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον.

Et apud Virgilium in Bucolicis plus uno in loco, ut & in illo, huic plane simillimo, Ecloga decima.

Illum etiam lauri, &c.
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Maenalus, & gelidi fleverunt saxa Lycaei.

Immo, quod mirabile est, in hoc ipso versu, idem ille, quam nunc producit, mox corripit; syllabam,

——— ύκαιον

Ὦ βάταβον.

Adeo omnia illi communia sunt, & tam insanum in modum deperit vetus illud, quod dicitur, πάντα κοινά. peculiare illi, credo, idolum est, κοινὸς Ἑρμῆς.

IX. Τόδε χ' ὑμῖν κεράτεν ἐέλδωρ) Pudendum hic rursus in errorem incidit ac puerilem, & plus quam unum, heros hic noster Graecanicus. Primum, malim dicere ὔμμιν, quod magis Poëticum, & Poëticum tantùm, quam ὑμῖν, quod prosam olet: quanquam & usum eo sciam Homerum plus semel, si genuina aliàs lectio est, quam nostri nobis exhibent libri. Sed leviusculum hoc, & non attigissem plane, nisi ut appareat Poëtae nostro, accuratius haud paullo & attentius ejus me carmen

men legiſſe , quam fecerat modò *Valerius.* Majoris multò momenti eſt vocula ei adjuncta τὸ κράνεν, quod quid ſit neſcio, nec apud Homerum, aut alium quempiam, legiſſe me unquam recordor. Κραίνω eſt perficio, confectum reddo, proprie annuo, quod illi, qui rem aliquam ſe confecturos promittunt, capite inclinato annuere nobis ſolent. Eſt enim κραίνω quaſi καραίνω, capite annuo, a κάρα, quod Poëtis idem ac κεφαλή. unde ex hoc ipſo compoſitum ἐπικρᾶναι, per τῇ κεφαλῇ ἐπινεῦσαι recte exponit Heſychius. Ab eo igitur eſt κρῆνον Imperativo Medio, pro quo κρήηνον Homerus, ut in illo plus ſemel repetito verſu, Iliados A.

—— Τόδε μοὶ κρήηνον ἐέλδωρ,

ut ſuum ibi orat Chryſes Apollinem; Thetis, Jovem. Apud eundem κρηῆναι pro κρῆναι Iliad. I. & ſenſu huic noſtro ſimili plane Τὸ κρηήνατε Oduſſ. Γ,

Καρπαλιμῶς μοι, τέκνα φίλα, κρηήνατ' ἐέλδωρ.

Verba ſunt Neſtoris ad liberos ſuos, ut Ulyſſis haec ipſa denuo verba ſunt, ad Nymphas fontanas, Oduſſ. P.

—— Τόδε μοι κρηήνατ' ἐέλδωρ.

Quod ſi hoc verbo uti voluiſſet hoc loco, pro κράνεν, quod primam habet correptam, aut κραῖνεν dicere debuiſſet, ab ἔκραινον Imperfecto, vel κρῆνεν, ab Aoriſto primo, quod eſt ἔκρανα, pro quo more ſuo Attici ἔκρηνα, ἔκρηνας, ἔκρηνε (Craſſe enim tecum agere debeo, Magiſtelle, nam uti cum Crete cretizandum, ita cum Grammaticis grammatizandum) illud autem, ſi augmentum abjicias, & τὸ ν in fine ob ſequentem vocalem adjungas, ſit κρῆνεν, quomodo dici debuit, quod primam habet longam ſua natura, ut vides, (nunc enim videre te credo) cum tuum iſtud κράνεν primam habeat brevem. Sed iſta ſunt levia, nec digna, quibus immorari oporteat, & vitium

eſt

est typographicum forte: nam eo continuo devolvetur. & pulchrum ſane habe praetextum Magiſter, omnia excuſandi. quod ſi pueri ejus perſpectum haberent, & cognitum, vel una illi ſufficeret ferula per omnem vitam.

X. Τόνδε, Διὸς κȣ̃ραι, Μȣ̃σαι, Χάριτές τε γλυκεῖαι) ita diſtingui hic debuit verſus. Muſas enim alloquitur, & ἄγεσθε eſt in hexametro proximo. Subobſcurus eſt aliàs locus, nec an *duxerunt*, an *ducite*, ſit intelligendum, in eo quod ſequitur, ſatis apparere liquide poteſt.

XI. Ιλαρῷ δεξιόȣσαι θυμῷ.) Quis primam in θυμὸς unquam corripuit? facit id tamen, & ſuo, ut putat, jure, ὁ ποιητής. Aliter plane Homerus ποιητὴς ὁ μέγας, aqud quem millies occurrit,

—— θυμὸς ἀγήνωρ,
—— θυμὸν ὀρίνειν,

& ſimiles locutiones aliae, producta prima. ultimam in δεξιόȣσαι corripit ſuo more, ut in ἔχȣσαι verſu ſecundo.

XII. Φῶς δ' ὅδε) Neſcias utrum de luce loquatur, an de homine. Homo recte *lux* appellatur, & *lumen*, ut *laus*, *honor*: quomodo dici poſſet, *hanc lucem*, hoc eſt, *inſignem hunc & luminoſum hominem*, *lumen Academiae Leidenſis*, Saeculi *Varronem*, aut Rhemmium quendam Palaemonem, *cathedram Profeſſoriam conſcenſurum.* Sed tum φῶς τόδε dicere debuit miſellus, non φῶς ὅδε, qvod non probaret Rhemmius iſte Palæmon, & ferula plecteret. Male vertis, exclamat *Magiſter noſter*, vel *noſter Magiſter*, (quo enim modo debeat dici, ex *litteris* ſuis *interioribus* explicabit nobis *Valerius*) φῶς enim & *lumen* notat & *virum.* Concedo, & nego. quo pacto te extricabis, Magiſter? ſi noſti, dicito: ſi neſcis, ego pro te exponam, & ignorantiae tuae ſuppetias feram. duplex eſt differentia, tum in genere, tum in

ac-

accentu. φῶς cum circumflexo *lumen* notat, & neutrius est generis, τὸ φῶς. φὼς vero cum accentu gravi *virum* notat, & masculini est generis; vir enim masculus est; si rationem forte desideras. Itaque ὁ φὼς tum scribitur, non τὸ φῶς; quae & accentu & toto genere diversa sunt. quo sensu Homerus,

—— ἀλλότριος φὼς,
—— ἰσόθεος φὼς.

Sed haec minutula sunt, neque quicquam horum reperies in *reconditis Valerii litteris.* Addo; post τὸ ὅδε comma necessario poni debuisse, respicit enim τὸ βαίνει.

XIII. Σὺν κροτέοις καὶ θαύμασιν) *cum plausu & admiratione,* credo, voluit dicere. quid sit θαῦμα, scio; quid κρότεοι vel κρότεα, nescio. κρότος est plausus, κροτέω, plaudo, unde illud in Comoediis, δότε κρότον. quo sensu Augustus (ut hoc te obiter doceam) cum jam morti proximus, circumstantes rogaret, *nunquid mimum vitae commode transsegisset,* affirmantibus id ipsum amicis, δότε οὖν κρότον, inquit, ad hunc ipsum morem alludens. debebat ergo dicere noster, σὺν κρότοις non σὺν κροτέοις. Sed repugnabat Syllaba prima. quare nihil illi commodius visum est, quam unam addere litteram, & quidem familiarem illam sibi τὸ ε, quod pulchre sibi successisse animadverterat in ἑεασόμενον. ô lepidum caput! vel capita potius! illud vero, quod sequitur eodem in versu, εἰροροώντων, quid sit monstri, ignoro. ego pro mea simplicitate vitium typotheticum dicerem, pro εἰσοροώντων. Sed mysterium quoddam latet fortasse sub isto vocabulo, quod in defensione sua manifestum nobis faciet ex *litteris* suis *interioribus* noster *Valerius.*

XIV. Θεαλεκὸν βαίνει σεμνοπρεπῶς ἐφ' ἕδος.) Θεαλεκὸν ἕδος appellat suggestum Professorium. qui si hoc nomine sit

appellandus, quid aliud sunt, qui in Theatro isto comparent, quam histriones? quid aliud hic ipse *Valerius*, quam *mimus* & *histrio*? qui *histrioniam* tamen, & *gesticulatoriam*, *Mimos* omnes, & *Archimimos*, odisse videtur tantopere. aliter de hoc Catone loqui debueras, Magistelle, qui cum Catone illo antiquo hoc ipsum habet commune, quod *non alium in finem veniat in theatrum, nisi ut inde discedat*. Quod vero in eodem versu subjungit, non sine *magno paratu*, ϗ μετ̀ πολλῆς φαντασίας, augustum illud ac reverendum σεμνοπρεπῶς, vim hujus vocis non percipit Magistellus. τὸ πρέπον enim quid sit ϗ τὸ σεμνοπρεπὲς non magis intelligit *Poëta Jensius*, quam *Orator Valerius*.

XV. Εἶτα λιγύφθογγόν τε ϗ &c.) Quid sit τὸ λιγύφθογγον, τὸ ἱμερόφωνον, τὸ θελξίνοον, aeque capit ille qui scripsit, quam de quo scriptum est. Neuter enim de his fando audivit quicquam. Tale vero aliquid ab hoc Oratore factum esse, tam falsum est, quam quod falsissimum. Ipse ille Orator, minus mendax hac in re, quam Poëta, in loco mox allegando, nullam in se vocis gratiam, nullam vim persuadendi agnoscit. In eodem hoc Disticho, an λύειν φωνὴν Graecum sit, dubito, *solvere vocem*, pro *vocem emittere*: item, an γλῶσσα recte dici possit ἀνθεῖν ῥήμασι, *florere verbis*, ambigo sane. Mirus est iste Hellenismus. Sed levia ista, prae illo quod dicam; habeo enim hic hominem iterum in pudendo & turpi errore, & manifesta ignorantia deprehensum. Dicit oratorem hunc emisisse (id enim tibi nunc largior, & ex mala tua locutione bonam facio) ἱμερόφωνον αὐδὴν. in quo contra leges metricas peccavit rursum insigniter. αὐδὴ vox est Poëtica, ab αὐδάω, & idem quod φωνὴ, est autem vel bisyllaba ista vocula, ut apud Hom. Iliad. Δ.

ἔχον

Et Iliad. N: ——— ἔχοντ' ἐν στήθεσιν αὐδήν.
——— ἐπεὶ Ἕκτορος ἔκλυεν αὐδήν,

Vel eſt triſyllaba per diaereſin, ut ſit αὐδὴ pro αὐδή. Id cum fit, diphthongo in duas ſimplices reſoluta, è quibus coaluerat, neceſſario, & natura ſua, ſecunda in αὐδὴ brevis eſt, quam hic novo exemplo longam facit ὁ ποιητής. Adde quod per diphthongum ſemper ſcribitur hoc apud Homerum vocabulum, & diſyllabum eſt, & nunquam, aut raro, apud ullos, aliter invenitur. At licet diphthongum reſolvere. Non repugno magnopere; quanquam id prudenter & caute faciendum exiſtimem, idque in vocibus ita jam uſurpatis. Sed tum longam facere ſyllabam, quae per ſe eſt brevis, id vero non licet. Quod ſi è Graecis non obſervaverat, è Latinis certe diſcere potuiſſet, & vel ex iſto ſatis omnibus cognito Tibulli loco:

Stamina non ulli diſſoluënda Deo.

Idem tamen mendum commiſit & verſu quarto. (quod tum indictum præterii, ne bis idem dicerem) in voce εὐχομένην pro ἐρχομένην, quod reſpuebat lex metrica, ubi itidem τὸ υ producit, quod corripitur, & in hoc quoque loco corripi debet. Alia res eſt in εὔζωνος, εὔκλίμενος, εὐφρονέω, & ſimilibus, ubi geminatae ſunt litterae, quae τὸ υ, brevem alias litteram, longam faciunt; quod hic locum non habet: δ enim & χ, ſimplices litterae ſunt, nec præcedentem brevem producere Syllabam poſſunt. Vides magnum Heroa, Lector, cui in hoc cum *Valerio* convenit, quod in Metricis legibus ſit verſatiſſimus.

XVI. Ρώμη παγκρατέουσα, καὶ ἑλλάδος ἑλλὰς Ἀθῆναι) verſus non malus,

Neque enim benedicta maligne
Detrectare meum est.

Sed aliunde, ex Anthologia nempe Graecanica, desumptus totus.

XVII. Ἐσθλὲ περιζωνίδη, πιστὲ παραινετά) Versus admodum numerosus, & dignus Poëta nostro, quem *sine rivali amare* securus possit. dicit porro, πενθεῖς,

Σπουδάζεις τ' ἀνάγειν γράμματα φευγόμενα.

non satis concinna haec sunt, & ἀσύστατα. *dolere litteras* an commode satis dicatur, nescio. *revocare litteras* rectum est. Sed cum *litteras fugitivas*, γράμματα φευγόμενα, eum dolere dicit, & revocare, quam gratus erga Magistrum discipulus est, qui eo vivo & praesente, ac litteras profitente, *aufugisse litteras* dicit!

XVIII. Ἑλλαδικῆς τε καὶ Ῥωμαϊκῆς ἀσκήματα γλώσσης) Idem committit vitium in τῷ καὶ quod commiserat supra, & quod versu deinde penultimo repetit, tanquam eximium aliquem, & auribus non ingratum sonum.

XIX. Δεικνύεις κρήνας) Novum hic errorem errat, & minus etiam excusabilem, quam erraverat modò, secundam enim in δεικνύεις producit, nulla consona, multo minus duplici aliqua littera, subsequente, ignorans videlicet Prosodiae regulam primam: *Vocalis ante vocalem brevis est.* Haec ego illum docere debeo scilicet, qui alios docet. Quid ad haec dicent discipuli tui, Magister? Quoniam tamen auctoritatem quoque desideras forte, nec sola tibi sufficit ratio, en illam tibi: Iliad. I.

Τὼ καὶ δεικνύμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Et apud Moschum, in Europa;

——— καὶ οἱ πλατὺ δείκνυε νῶτον.

τὸ ἔμμεναι ultimam apud hunc brevem habet, ut δέξασθαι, &c. nec quicquam moratur consonantem sequentem.

XX.

XX. Ἡ μὲν διὰ τεοῖς πειθὼ σομάτεσσιν ἐφίζει) Si de Platone, aut Cicerone verba feciſſet, recte omnino, & vere, dixiſſet. Nunc ex hoc, ut & ſequenti, apparet, quam nuſquam obſervent τὸ πρέπον juvenculi iſti, & omnia in majus exaggerent. In blaeſi hominis labiis ſederet Pitho! ἄτοπα ταῦτα πάντα καὶ ἀπροσδιόνυσα. in ſequenti verſiculo pro ἀφραδίαισιν ἑαῖς, malim ego ἀφραδίῃσιν ἑαῖς, quod paullo eſt ſuavius.

XXI. Μῦσαι τε καὶ χάριτες) & hic, & in altero membro ejusdem verſiculi, σὺ ἱμερόεσσαι χορηγοὶ, τὸ αι bis iterum corripit, ut jam ſaepius dictum eſt. Partem item ejuſdem hic verſus repetit, quo uſus fuerat in principio, adeo dulcis haec illi, & ingenioſa quoque, eſt repetitio.

XXII. Κτυπῦσιν ποσὶν οἷς γηθόμεναι δάπεδον.) Infame hic rurſum eſt mendum in primo vocabulo, cujus ſyllabam primam, natura & auctoritate veterum brevem, contra omnem legem metricam, longam facit. prima in κτύπος brevis eſt. Hom. Iliad. Κ,

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει.

Quem in ore verſum habuit jam jam animam efflaturus Nero. Item in κτυπέω. Iliados Ν,

Παννύχιος δέ σφιν κακὰ μήδετο μητίετα Ζεύς,
Σμερδαλέα κτυπέων.

Vide quam diligenter Poetas legerit ὁ ποιητής. quem tamen, Poetices Profeſſorem in Academia Lugdunenſi facere voluere neſcio qui.

XXIII. Καί μιν ἐγὼ θεράπων Μυσῶν, Φοίβοιο τ' ἄνακτος) τό μιν vel αὐτὴν ſignificat, vel αὐτὸν. neutrum hic locum habet; nec video, quo referri poſſit. μὲν dicere debuit, non μιν, & tum aliter accentus erat ponendus, καὶ μὲν: ſic ut in manifeſta ſit rurſum culpa, quocunque ſe vertat. deinde poſt ἐγὼ poni neceſſario debuit comma, reſpicit enim τὸ πέλομαι. Cum vero ſe Muſarum ac Phœbi ſacerdotem

 dicit,

dicit, imitari, credo, Ovidium, voluit,

Ille ego Musarum purus, Phoebique sacerdos.

Vide quam sibi placeat juvenis, qui se Musarum sacerdotem putat. ego certe laudarem fortunas Apollinis, si istiusmodi sacerdotes haberet.

XXIV. Καίπερ ἐῶ μὴ Τειρεσίας &c,) quid hoc velit, nescio. ἐῶ est *sino*, quod hic non quadrat. Vult dicere, opinor, *quamvis non sim Tiresias* &c. *tamen vaticinabor.* id autem non video in istis verbis. ἐγὼ forte voluit dicere, intellecto τῷ εἰμὶ: vel ἐὼν etiam, sed non convenit cum τῷ ἐμοὶ, nisi absolute intelligatur, quod duriusculum. an voluit illud, quod est apud Homerum (adjuvandus est enim homo) Iliade prima,

> αὐτὰρ ἐμοὶ γέρας αὐτίκ' ἑτοιμάσατ', ὄφρα μὴ οἶος
> Ἀργείων ἀγέραστος ἔω;

Circumspicite mihi aliud praemium, inquit, *ne solus sine praemio sim.* Illud autem ἔω subjunctivus est pro ὦ, concessa poëtis licentia. Cujus loci imitatione dicere debuit ἔω non ἐῶ, accentu in prima, non in ultima, posito, & circumflexo praeterea in acutum mutato. Vide, quam minuta & levia docere debeam doctorem istum. Sed recurret ad anchoram sacram, & vitium esse typographicum clamitabit. At tu, o noster, accuratior paullo in accentibus esse debueras, in illis praesertim, a quibus totius rei sensus dependet; quod exemplis probari pluribus posset, si isto res patrocinio indigeret. In eodem versu est, Κάλχας τ' ἐῢ εἰδώς. hemistichium numerosum: nescio enim quam suavitatem habent versus isti spondaici, nullo judicio positi. Calchas Homero dicitur ἐῢ εἰδὼς, peculiari epitheto; sed quo modo? in principio versus, an in fine? Videamus istum eloquentiae non minus quam sapientiae fontem Iliad. A.

——— ἄμμι δέ μάντις
Εὖ εἰδὼς ἀγόρευε θεοπροπίας Ἑκάτοιο.

Vides pulchrum versum & numerosum, & in principio versus positum illud ἐν εἰδὼς, non in fine, quod durum, & horridum.

XXV. Ἔκ τοι ἐρῶ, τόδε καὶ τετελεσμένον ἔσαι &c.) Hic versus, ut & ille qui sequitur, bonus est; & bene Graecus; uterque quippe ex Homero desumptus; ita enim apud eum ad matrem suam Achilles.

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.

Et ad ipsum Achillem eodem in libro Pallas:

Ὧδε γὰρ ἐξερέω· τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσαι.

En furem manifestarium: furari enim id est; non, imitari. sed eam differentiam non intelligunt Poëtae Leidenses; συνόνυμα τούτοις ταῦτα καὶ ἰσοδυναμοῦντα. Τὸ αι praeterea in ἔσαι hic iterum corripit (ne quid praeteream in tam nobili scripto) ut jam saepius vidimus. Primam autem in Λύκαιον recte hic corripit, (ne sua eum laude fraudemus) ut in superiori hoc ipsum loco male produxerat. Hos igitur duos versus Homero sublegit, in quibus nullum plane discrimen; nisi quod ex bonis fecerit malos. Quod in proximo sequitur versu

——— καὶ ἐνὶ βάλλεο σῇσι φρεσὶ,

nullam habet connexionem cum praecedenti. dicendum erat: σὺ δ' ἐνὶ.

XXIV. Ευλογίας φήμην &c.) dicit *Veterem Eloquentiae famam & gloriam, si quam habuerit olim* Leida, *cum hoc* homine *redituram*: cum ad nullam rem minus idoneus sit, ac minus valeat noster *Valerius*, quam ad eloquentiam. fatentur id ejus tum orationes tum carmina, ne convitium sibi dictum existimet. Aliter laudari potuisset ὁ πάνυ, si judicium habuisset ὁ ποιητής. Sed amant videlicet illud, quod non intelligunt. tanta est vis eloquen-

quentiae & efficacia! illud autem comma, non poſt τε, ſed poſt σὺ, debuit collocari.

XXII. Ἀρχαίην ὁράσεις) Secunda in ὁράσεις longa eſt, apud bonos ſcriptores; apud hunc brevis. qua id auctoritate factum ſit, neſcio. Aliter certe Homerus Il. A.

Κήδετο γὰρ Δαναῶν, ὅτι ῥα θνήσκοντας ὁρᾶτο.

Idem Iliad. Ω.

——— εὔχευ σύ γ' ἔπειτα κελαινεφεῖ Κρονίωνι
Ἰδαίῳ, ὅς τε Τροίην κατὰ πᾶσαν ὁρᾶται.

λεύσσεις dicere potuiſſet, verbo non minus Poëtico. ſed haec, ut plura alia, ignorat Poeta noſter Graecanicus.

XXVIII. Κοσμεῖται κράτιστος ἐπεί σε δυοῖν ζυγὸς ἀνδροῖν) primum τὸ κοσμεῖται, ſignificatione activa, pro κοσμεῖ, τῷ σε adjuncto praeſertim, non multum mihi placet, & inſolens plane videtur, ac novum. Sed eſt aliud quiddam, quod te volo, ὦ ἄριστε. Noſtine primam in κράτιστος brevem eſſe, ut in κράτος; & per metatheſin κάρτιστος dicere ſolere Poëtas, ut huic malo ſuccurrant, & è brevi longam faciant? Vide, quam multa docere te debeam, & quam tenuia. Homerus de Jove.

——— τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Idem alibi, ——— κρατέρ' ἄλγεα πάσχων.

Et in illo vulgato, ——— κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

Idem Il. A.

Κάρτιστοι μὲν ἔσαν, καὶ καρτίστοις ἐμάχοντο.

Et Iliad. Θ,

——— ὅσον εἰμὶ θεῶν κάρτιστος ἁπάντων.

Vides pudendum mendum, Magiſter, virga, non ferula, dignum. non minus magnum eſt in ſequenti verſu, ne defunctum te putes:

XXIX. Τὼ θεὰ τέλθοισιν παλλὰς ἔτραφεν ἑοῖς.

ubi & à quo unquam ſecunda in ἔτραφεν eſt producta? prima

prima in τρέφω, τρέφειν, τράφεν pro ἔτραφεν, semper corripitur. Iliad. E,

Ἐτραφέτην ὑπὸ μήτερι βαθείης τάρφεσιν ὕλης.

Et in citato modo loco Iliad. A. ubi geminum hunc in uno & eodem versu errorem conspicies, Magistelle:

Κάρτιστοι δὴ κεῖνοι ἐπιχθονίων τράφεν ἀνδρῶν.

Vides, ô misellE, quam multa, quam magna, & vel pueris tuis indigna, in duobus hisce versibus commiseris vitia.

XXXI. Nondum te demitto, est etenim alius item in hoc versu naevus. ultimam in θεὰ, corripis. quo jure; inquam; qua auctoritate? Aliter certe Homerus, & quidem principio operis: Μῆνιν ἄειδε, θεὰ, nosti quod sequitur. & Eodem in libro, ubi & superius mendum conspicies denuo: Εἰ δὲ σὺ καρτερός ἐσσι, θεὰ δέ σε γείνατο μήτηρ. Id. ibid. Ἀλλὰ σύ τόνγ' ἐλθοῦσα, θεὰ, ὑπελύσαο δεσμῶν.

Quid dicis, Magister? pudet me tui, pudet.

XXXII. Λαμπτῆρ σέο, ἢ μέγα φάος) Hoc vero est turpissimum mendorum omnium mendum. τὸ φῶς, ut supra dixi, est *lumen*. illud vero resolvitur a Poëtis in φάος, quod suavius & numerosius. Una vero longa duas facit breves, ubi resolvitur. Adde quod vocalis ante vocalem semper est brevis, ut ostendimus supra in δεικνύεις. adde denique veterum auctoritatem, & centies apud Homerum repetitum ab eodem illud:

——— λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

En tria, non in duobus, ut modo, versibus, sed in una & eadem vocula, vitia. Jam bis ad eundem lapidem offendisti, τὸ φῶς dicendo, pro ὁ φῶς, nunc vero primam in φάος producendo. cum ob triplicem, ut ostendi, rationem corripi debeat? caecutis, credo, ad lucem istam; immo in luce, & ad splendorem tam manifestum hebetes

betes plane ſunt oculi tui, nec quicquam vident..

XXXII. Χ' ὡτέρός ἐςι περιζωνιδης) durus iterum verſus, & auctore dignus. Cur homo hic verſus facit, & quidem Graecos, qui nec quantitatem Syllabicam, nec ullam metri ſuavitatem intelligit?

XXXIV. Ἄνδρε δύω, σπȣδῶν ζώνῃ ζεύχθέντε ὁμοιῶν,) putida alluſio ad nomen Perizonii quod à περὶ & ζώνη. *Accinctum* Latini dicerent.

XXXV. Σφίσιν ἀμειβομένω,) prima in σφίσιν brevis eſt. Homer. Iliad. A.

Καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν ἦες Ἀχαιῶν,

Et ita paſſim.

XXXV. Κεκληθέντα φίλοιν ἀρμονίῃσι θυμοῖν.) Iterum turpis naevus eſt in hoc verſu, corripit enim primam in θυμοῖν, ut ſupra fecerat in θυμῷ. idem eſt mendum, dices. ideone minus eſt mendum? reſponde, quaeſo. Sed tibi fortaſſe licet, quod in pueris tuis plectendum foret.

XXXVI. Ἑλλαδικῆς τε ϗ Ῥωμαικῆς.) quam haec ſuavia ſunt! & quaſi non ſufficeret ſemel iſta dixiſſe, iterum repetis, & rurſum aures obtundis ſono illo aſinino tuo.

XXXVI. Ἐξηγητὰ καλῆς ἐσσομένω σοφίης.) dualis eſt, ut apparet, ſed vice pluralis. quare cum ἐξηγητὰ ponatur hoc loco pro ἐξηγηταὶ, ultimam ſua natura habere brevem non poteſt. Ego certe corripere non auderem, neque legiſſe me unquam ſcio.

Vides, amice Lector, in quinquaginta verſuum numero, quadraginta propemodum naevos conſpici; deformes, pueriles, pudendos: quorum nullos omnino animadverterat Heros *Valerius*, magnus ille Eloquentiae, & Graecae Linguae profeſſor. Non viderat haec, inquam, *Valerius*; Argus ille ſaeculi noſtri; ὁ πολυόφθαλμος; neque oculatior hac in re fuit eo ipſo, qui ſcripſit;

psit; cujus tamen errores iste correxisse debuerat. Sed *studiis*, credo, *secretioribus* sese totum *immerserat*, & in *reconditas* illas & *interiores se receperat litteras*; neque ad minora ista consideranda, uti nec mens, nec facultas, ita fortasse nec otium suppetebat. Magna est Graecorum licentia Poetarum, clamitabunt illico Heroes nostri. Magnam esse confiteor; & multo adstrictiores esse Poetas Latinos legibus Metricis jam suo tempore questus est Martialis:

Sed tu non ideo cuncta licere puta.

Magnam habent Graeci licentiam; non omnem tamen; nec in omnes syllabas quidvis licet. Danielem audite Heinsium, rerum harum intelligentissimum, si quisquam, virum. Is in sua ad Hugonem Grotium, virum amplissimum, quam Graecis suis praefixit carminibus, praefatione, ita de Angelo loquitur Politiano: *Angelus Politianus, vir ingenti praeditus ingenio, ne quid Graecis ejus temporis concederet, quorum auditoria & famam jam invaserat, Poetari quoque lingua eorum voluit. Caeterum haec quoque, pauca si excipias; quale est quod in Emergentem Venerem conscripsit, & fortasse alterum quod in Armatam, illo genio destituuntur, qui in Antiquorum Epigrammatis elucet. ut omittam, pleraque ne Graeca quidem satis esse. In temporibus quidem, & Syllabarum modis, ea saepe alibi committit, quae non raro in Latinis aliorum acerbe & crudeliter traducit. Nam qui omnia licere Graecis arbitratur,* (nota Lector) *mecum profecto, & cum priscis auctoribus non facit. Sed de istis alias: cum fortasse exercendi caussa animi non pauca notabimus.* Apparet, quae magni illius viri super hac re sententia fuerit. atque utinam, quod promtitit, fecisset vir praestantissimus, qui

 haec

haec facere optime poterat! Apparet item, ex veterum omnium, & hujus ipsius exemplo, multa Graecis licere, non omnia. Quod si omnes apud eos Syllabae communes essent, quam gloriam reportaret, qui Graecos versus conscriberet? Quivis id posset: etiam *Jensius:* etiam *Cajus*, si vellet, *Valerius:* praenomine enim nunc suo appellare hominem libet, ne ullo se honore defraudatum conqueri possit. Sed, ut seriò tecum agam, mi Lector, nonne turpe prorsus ac pudendum, tot vitia metrica videre non potuisse Eloquentiae Professorem? tot errata, circa ipsam linguam, & rem Grammaticam, observare non valuisse Linguae Graecae doctorem; qui peculiari sibi nomine rem Grammaticam vindicat? Quo reciderunt litterae, & imprimis Graecanicae? ô Scaliger! ô Heinsi! ô Dousa! *utinam viveretis!* utinam Leidensis Academiae formam adspiceretis; & hos ipsos Graecae Linguae, & Eloquentiae Professores! Et tu, Ægidi Menagi, qui in Graecis carminibus componendis, post Danielem Heinsium nostrum, facile primas tenes; quid diceres, si in vivis esses? aut tu denique, Matthaee Slade, qui & Graecae Linguae, & Graecae item Poeseos peritissimus, magnam tibi laudem & gloriam hoc scribendi genere comparasti? ut rideres, si viveres! ut epigrammate aliquo lepido Heroas istos exciperes! ut barbariem illis suam ostenderes, qui nunc alios *Barbaros* vocant! ut *in ordinem* eos *redigeres*, qui alios nunc *in ordinem redactos* volunt! ut me adjuvasses tu gnaviter; & in bonarum istis litterarum hostibus, ab omni humanitate & elegantia alienis, debellandis ac profligandis, auxiliatricem illam tuam commodasses manum! Nunc à te deseror, destituor, derelinquor, & facientibus istis in me impetum belluis resisto solus!
Quid

Quid faciam? quo me convertam? bonam caussam deseram; & regnum homines istos in litteratos alios omnes exercere tyrannicum sinam? *Non patiar, non feram, non sinam.*

Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.

ἄγε, ἔγειρε σεαυτὸν. νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις. Et utcunque vadis ac brevibus obsessum sit illud & infestum mare, utcunque jam in altum me dederim, & ab omni sit parte

—— Coelum undique & undique pontus:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.

Sed in viam & ad *Valerium;* tanto enim eum amore depereo, ut ne per momentum quidem ab eo, sine magna animi aegritudine avelli possim. Naevos igitur istos, tam multos, tam magnos, non viderat bonus *Valerius.* Vides inscitiam hominis. Naevos illos eosdem, non esse naevos, & me falsum fuisse, palam omnibus praedicabat. Vides impudentiam hominis. Admonitus deinde à viro docto, (Novit enim quae Swammerdami sunt gesta) idem illud facere non omisit; nec esse, quae dixeram, vitia, asseverare nihilominus dubitavit. Sic Leidae loquebatur, sic Amstelodami; meque lacessebat continue, &, ut ostenderem illa palam, si possem, quae dixeram, provocabat. quod nunc à me factum, ille ipse, existimo, qui facere me posse negaverat, affirmabit. Ex illo in me *Valerius*, qui errorum istorum probe sibi conscius erat,

Ingentes animo, & dignas Jove, concipit iras,

qui horribile illud arcanum patefecissem, & ignorantiam suam omnibus manifestassem. Altùm enim spirabat hic homo, καὶ, εἶναι τινὰ ἑαυτόν, existimabat, quod

Non artis ulla Musicae peritia,

 Ve-

Verum, cum illo apuud Phaedrum è sutore medico,

Stupere vulgi factus esset nobilis.

Censorem enim se esse credebat, ac Dictatorem, &, cum illo apud Eundem Leone, omnes partes sibi arrogabat, ita enim apud eum *Valerius*, Leo inquam Æsopicus;

Ego primam tollo, nominor quia Leo:
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi:
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia.

Quia plus valeo, ait, id est, ut ego interpretor, *quia Valerius sum.* Interim, dum ista concoquere neutiquam potest; & commodam effutiendi in me aliquid occasionem captat, maximo omnium luctu fato concedit Augustissima & potentissima Britanniarum Regina. Partes dicendi in tam illustri funere huic inter alios mandantur *Valerio.* Orationem habuit bene longam, ne vinceretur ab aliquo scilicet, qui in longitudine omnem orationis pulchritudinem collocat; & quidem proximo post collegam die; ex quo apparet prudentia hominis. Ea in oratione haec ejus sunt verba: *Dum itaque ego Augustissimae Mariae decora, non inanibus verborum lenociniis, non pictis figurarum coloribus, non compositis fractarum modulationum, gesticulationumve mollium simulacris, ornare, sed modesta, & luctibus conveniente, styli, vocis, actionisque simplicitate exponere, rebusque ipsis & exemplorum documentis demonstrare contendam*, &c. Examinemus, quaeso, hunc ipsum, & attentiore paullulum oculo contemplemur locum. Primum, aut aliquem notavit his verbis, aut neminem. Ille neminem dicit, ego aliquem ab eo, ac certum aliquem hominem, designatum puto. Si neminem hîc ante oculos habuit, ineptus totus est locus, & nullo judicio positus, neque quicquam huc facit. Ipsa, quaeso, verba, consi-

dera

deramecum, Lector. dicit se, *non inanibus verborum lenociniis, non pictis figurarum coloribus, non compositis fractarum modulationum, gesticulationumve mollium simulacris, sed* &c. *Reginae ornare decora* velle. Paucioribus verbis absolvere potuisset, si hoc modo dixisset: *Orationem habiturus sum, non orationem.* Quid? nullas habebit *figuras* Orator, nullos *colores?* quo modo res exprimet ergo, & ad vivum ob oculos ponet? sine coloribus, credo, ut *Valerius.* Quod pictoribus *color* est, id Poetis & Oratoribus sunt apta, selecta, idonea, & suo loco posita verba. iis rem repraesentant, & quasi *depingunt* Summum in his artificium est. Hinc affines istae sunt artes, Poëtica & Oratoria, cum Pictura; sic ut Poesis (addo, & Oratoria) ζωγραφία φθεγγομένη, pictura vero σιγῶσα sit πόιησις appellata veteribus. Unde illud Horatii:

Ut Pictura, Poesis erit.

Et illud in principio Artis Poeticae.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit. &c.

Sed haec omnibus nota sunt, praeterquam *Valerio*; qui nullos admittent *colores*; precipue in *figuris. non pictis figurarum coloribus.* quid igitur sunt *figurae*, quid *Tropi, & Schemata*, nisi *colores* orationis & *lumina?* Vide quam intelligat artem Rhetoricam Eloquentiae iste Professor. *Colores* & *lumina*, uti pictores, ita Poëtae habent & Oratores, ab iisdem illis pictoribus, propter summam rei similitudinem, utroque vocabulo mutuato. At, non *picti* debent esse isti *colores*, affirmabit *Cajus.* Ego vero nego. non sunt *colores*, nisi sint *picti*, immo optimi illi ipsi, qui quam optime, & ad vivum *picti.* Tu ludis, inquit. *Picti* isti *colores, pigmenta* sunt. itane vero? nunc te intelligo; ignosce, quaeso stupiditati.

piditati meae, mi *Valeri*. *Davus sum*, *non Oedipus*. Sed serio tandem. cur tu *colores* istos *pictos* vocas, & rem bonam, ac per se laudabilem, malo appellas nomine? cur easdem *figuras*, *colores* & *lumina* Orationis, *verborum lenocinia* rursum, & quidem *inania*? vel non intelligis quod dicis, vel invidiae plena sunt ista vocabula. Si omnis *figurata* oratio, *picta* & fucata est: si Rhetorum *Tropi* & *Schemata*, *pigmenta* tantum *inania*, & mera sunt *lenocinia*; inanis est omnis Rhetorica; inanis Rhetorum labor, & Oratorum; inutiles omnes ubique Rhetoricae & Eloquentiae Professores. Quae si res ita se habeat, neque ullus omnino in Oratione *Tropis* ac *Schematibus*, *figuris* istis ac *coloribus* locus est; nullus unquam mortalium Tullio scripsit pejus; *Valerio* melius. Sed audi, ὦ γαθὲ, &, si nescis, accipe. *Figurae* sunt necessariae: Poetis & Oratoribus propriae. Usus *figurarum* est duplex, bonus & malus. Si nullae sunt, languet Oratio: si nimiae, aut affectatae, fucata, &, ut ajebat ille, *calamistrata* oratio est. Media via incedat oportet, qui verae & *priscae* illius *eloquentiae* laudem affectat. Haec virtus est Antiquorum: haec Recentiorum, qui ad priorum illorum sese normam componunt. Jam autem, si de recto *figurarum* usu, & de mundo illo caetero Oratorio loqui vis, te tamen illo non usurum esse, dicis, nihil dicis, & plane ineptus es: si de *cincinnis* Oratorum & *calamistris*, & omni fucato ornatu; multo minus quam nihil, & sine ullo profecto judicio es. quid enim dicis? te nulla *pigmenta*, nulla *verborum lenocinia*, falsos nullos ac fictitios *figurarum colores*, adhibiturum. Quis unquam sanus hoc dixit? hoc fecit? perinde est ac si diceres, *Latine*, non *Barbare*: loqui te velle. Quis non Latinam ab Oratore Orationem expectat? Quis non &
or-

ornamenta Oratoria iſta, ſine fuco & *pigmento*, & *lenocinio* ullo meretricio; ut honeſtae matronae, non Ædilem metuenti mulieri, ſimilis videatur Oratio. Illa autem pro rerum ac perſonarum dignitate adhiberi ſolent, ut veteres nos docent Magiſtri, & M. ante omnes Tullius. Contraho argumentum, Aut de *vitiis* Orationum loqueris; aut de *virtutibus*. Si de *vitiis*, nihil agis, dum te malos iſtos ſcriptores non eſſe imitaturum dicis. Id enim officii eſt, & boni, ut eſſe vis, Oratoris. ſi de *virtutibus*, cur bonae rei malum nomen imponis? cur *Tropos* & *Schemata* (de bonis loquor) *pictos figurarum colores*, & *inania verborum lenocinia* vocas? id in fraudem eſt Artis; nec ab ullo *Eloquentiae Profeſſore*, qui artem iſtam intelligit, aut poteſt dici, aut debet. *Interiorem* eloquentiam ſpectant quae cum Oratore noſtro dicta ſunt hactenus. Sequor filum Orationis Ejus, & ad *Exteriorem* eloquentiam venio. Quid dicit Orator? *non compoſitis fractarum modulationum, geſticulationumve mollium ſimulacris, Reginae decora ornare* ſe velle. duplex eſt *Eloquentia corporis* (ita enim recte & vere interiorem illam vocat eloquentiam Cicero), Ea vel in *voce* & illius conſiſtit regimine; vel in *geſtu* & totius corporis motu: unde *corporis eloquentia* dicitur; quod corpore fit, & quidem ſolo; nihil enim hîc loci aut ingenium, aut judicium habet, aut ulla mentis facultas. Haec ab univerſi corporis actu *Actio*; à voce & pronuntiatione, ut à parte potiore, *Pronunciatio* dicitur. Huic primas, ſecundas, tertias, tribuebat olim Demoſthenes, teſtibus, & hoc illius judicium comprobantibus, magnis illis Magiſtris, Tullio & Quintiliano. Jam autem, quomodo haec percipit Noſter? Rogo, utrum adeſſe haec eloquentia debeat in

recitando, an non debeat? ſi non: quid ergo ſibi Veteres volunt, cum illam requirunt? cum vim illi tantam aſſignant? quo illa tum praecepta de *Memoria* pertinent? quo illa de *Actione?* Stulti profecto fuerunt Demoſthenes, Cicero, Quintilianus, & ſapientior illis eſt multò *Valerius*. Si neceſſariam tum illam fuiſſe (antiquis enim Magiſtris repugnare non audet) nunc vero non neceſſariam eſſe exiſtimat, ſtulteſcit profecto *Cajus*: ſi deperditam dicit, inſipidus eſt & *inſrunitus*, nec, quid dicat, intelligit. Nec amiſſa eſt, nec amitti poteſt. Quod vero id non capiat *Cajus*, *non eſt mea culpa, Quirites*, ſed hominis, Quamobrem, cum non ſit deperdita; cum ſit ſummopere, etiam nunc, neceſſaria; neque ulla ſine ea Oratio haberi, ut par eſt, poteſt: quis non animadvertit ſummam illi curam & operam, quotquot publice verba faciunt, illos vero imprimis, qui alios eloquentiam docent, impendere etiamnum debere. Vocis itaque, ut geſtuum corporis omnium, obſervari regimen debet, & ad ſubjectam materiam accommodari. Id vel inepte fit, vel cum judicio. Si inepte; male & Scenice: ſi cum judicio, recte & Oratorie. Jam vero, quid illud eſt, cum ſe *non compoſitis fractarum modulationum, geſticulationumve mollium ſimulacris* uſurum dicit? nonne idem ac ſi dixiſſet, ſe *non Mimum* aut *Hiſtrionem* futurum? quis unquam ſic loquitur, ubi de ſe loquitur? ſi ergo ad malam *Actionem* iſta pertinent verba, inepte & ſine judicio illa applicat ſibi: ſi bonam, legitimam, naturalem, talem denique, qualis in Oratore requiritur; cur rem per ſe utilem, ac ſummopere neceſſariam, tam invidioſis appellat vocabulis? *fractas* vocis & *compoſitas* vocat *modulationes*. Quaſi omnis vox Oratoria *fracta* eſſet, & ad ſce-

ſcenam *compoſita*: quaſi nihil illa aliud eſſet, quam cantus, & Muſica quaedam *modulatio*. Vox inflecti debet, non *frangi;* hoc eſt attolli, & deprimi: *componi* eadem debet & conformari; nihil tamen *compoſiti*, & affectati habere. *modulata* eadem ſit oportet; ſic ut nec loquatur proprie Orator, nec canat; & ſuavi quadam *modulatione* decurrat Oratio. *Rythmum eſſe oportet, non cantum*, ait ſummus ille Rhetor ſimul & Orator Tullius. Et ſane, ſi in compoſitione numeri ſunt; ſi numeroſa ſunt verba, & ſuis nos afficiunt numeris, dum leguntur; in ipſa voce nihil erit numeroſi; nec illa ipſa nos tangent verba, dum audiuntur? Quid quod magnum ad perſuadendum momentum illi ipſi ſunt numeri? quid quod nullam vim habent, niſi vocis modulatione in noſtras ſe aures inſinuent? quid quod hoc artificium calluit optime Tullius? quid quod idem ille *canoram in Oratore vocem* requirat (obſerva, Lector,) & *poene Tragicam? Modulatio* itaque in voce eſſe debet, non *fracta* non *compoſita;* ſed virilis, maſcula, Oratoria. Videamus de *geſtibus*. Dicit Orator te dicturum eſſe ſine *geſticulationum mollium ſimulacris*, id eſt, ſe non futurum eſſe *Geſticulatorem*. *Morionem* aut *Hiſtrionem*. quis ita de ſe ipſo locutus eſt? aut quis malos geſtus & mimicos in Oratore probavit unquam? Graves geſtus eſſe debent, & Oratori, viro gravi, convenientes. Eos autem invidioſo rurſum ac maligno vocabulo *geſticulationes* appellat Rhetor, & quidem *molles*. quis *geſtus* Oratorios *geſticulationes* appellavit unquam? aliud eſt *geſtus;* aliud *geſticulatio*. *Geſtus Oratorum* eſt actio, & *Tragoedorum;* (quorum ut vocem, ita & actionem habere debet Orator; circa res graves enim & ſerias uterque verſatur) *Geſticulatio* autem *Mimorum* & *Co-*

 moe-

moedorum. *Molles* vero *gesticulationes*, (ita enim loquitur, ne quid criminis & invidiae praetermittat) sunt *Cinaedorum*, & hominum *mollium*. Vide, Lector, quam bene haec nostra intelligat, aut quam injurius sit in eam ipsam artem, quam profitetur, *Valerius*. dicit autem sine istiusmodi gestibus suam se habiturum Orationem. Idem est ac si diceret, se stultum non futurum hominem, sed sapientem. addit ultimo, se sine *modulationum* & *gesticulationum simulacris* id facturum. Criminatur hic iterum artem Oratoriam noster Orator, quasi omnia *simulata* essent & ficta, quae circa vocem & gestus veniunt observanda: & nihil in iis esset naturale. *Simulacra* & *simulamina* rerum ipsarum (εἰδέας ἢ εἴδη Platonici vocant) exhibent apta & idonea verba: ista verba aptâ & ad rem accommodatâ proferuntur voce: vocem subsequitur gestus, & totius corporis motus. Haec autem omnia unam & eandem rem nostris auribus, oculis, animis repraesentant, & totidem quasi oribus ad nos loquuntur. Haec si ignoras, *Valeri*, è Cicerone & Quintiliano discere potes: Vide libri undecimi caput tertium) si nosti, bonam caussam gravas, & Oratoriam artem magna invidia oneras: Sic ut pro stupido plane homine, & harum litterarum prorsus ignaro; aut pro invido ac maligno, & viro parum honesto, haberi imposterum debeas. Plena sunt invidiæ itaque, quae perpendimus hactenus, verba; quae nostrum neutiquam spectare *Valerium* possunt, nisi illum plane ineptum & nullius cerebri hominem putes. Ad alium ergo haec pertinent, quam Oratorem ipsum. Is autem alius ego sum. In quo si fallor, nominet, quem designat, nec verbum amplius addam. Quem cum nominare nec velit, nec possit, ego justissima, ut puto, caussa me

me ab eo praecipue notatum dico. Urebat videlicet hominem, me aliquid posse, quod ipse non posset; audiebat; id à nonnullis laudari; sibi detractum putabat, quod dabatur mihi. Accedebant Elegiae istius Graecanicae pudendi, ac pueriles, quos ostenturum me dixeram, errores isti. Captat hanc occasionem, (minus quidem opportunam & commodam, in re tam gravi ac luctuosa) & me & artem meam palam ac publice criminandi. Quasi vero nihil aliud esset in omni mea eloquentia, si ullam habeo, nisi *inania verborum lenocinia* quaedam, & *picti figurarum colores;* ficta denique & fucata omnia: quasi item *Actio* mea, ex *fractae vocis modulatione*, & *gesticulationibus* quibusdam *mollibus* consisteret tota; *gesticulatoria* denique potius esset eadem illa, & *histrionica*, quam viro gravi ac serio dignus aliquis & conveniens corporis motus. Frustra eloquentiam didicissem; frustra eam publice profiterer; si ejus nunc caussam desererem, nec ullo eam patrocinio adjuvarem. Praesertim cum eos ipsos illa nunc hostes habeat & inimicos, qui contra aliorum injurias, & malorum hominum impetus, defendere eam potissimum, ac tueri debebant. Illius itaque caussam suscipiam, & cum illius meam. Omnis eloquentia (de interiore nunc loquor, nam de priore prius) simplex esse debet ac naturalis, non abjecta & humi repens, ut cum simplicitate majestas, cum majestate simplicitas conjungatur, & *naturali* sua *pulchritudine*, ut ait ille, *exsurgat oratio*. Omnem fucum & falsum ornatum, omnes *cincinnos* & *calamistros*, & universam illam eloquentiam Mecaenatis, odi ego ac detestatus sum semper. *Inania* illa *verborum lenocinia*, & *pictos* istos *verborum colores*, captavi ego aut amavi nunquam. Hanc mihi laudem tribuunt (quod citra invi-

 diam

diam dixerim) qui mea unquam ſcripta legerunt, tam Poetica, quam Oratoria. Nec meae me obſcuritatis, aut eloquentiae nimis fucatae, praeter hunc noſtrum *Valerium*, accuſavit quisquam. Injurius itaque eſt dum id facit, & animum ſuum malignum & invidum aperto nimis indicio facit manifeſtum. Quam ego omnem injuriam concoquerem facile, niſi & ipſam artem pudenda iſta & infami nota adſpergeret, ac malam Juvenum animis, tenellis illis ac cereis, & in omnem facile partem ſe convertentibus, de hoc toto eloquentiae ſtudio inſereret opinionem; quam, ubi ſemel imbiberint, nulla deinde opera evellat quiſquam. ſic ut peſtes ac pernicies Academiarum, *vomicae* & *carcinomata* litterarum, iſtiuſmodi Eloquentiae Profeſſores vero & ſuo appellari nomine poſſint. *Actio* porro omnis, Orationi ipſi conveniens, hoc eſt, naturalis eſſe debet ac ſimplex: cum majeſtate tamen & gravitate, pro rerum natura ac perſonarum. Uno verbo, cum Externa Eloquentia Internae illius imago ſit ac ſimulacrum, nullo unquam pacto ab ea diſſentire poteſt, ac diſcrepare; ſed voce ſimul, & geſtu, ac totius corporis motu, rem ipſam ob oculos ponere, & totidem quaſi coloribus eandem nobis effigiem repraeſentare eam oportet. Id quam factu difficile ſit, & quam paucis mortalibus datum, nemo me rectius novit, qui per omnem vitam vix unum vidi aut alterum, cui iſta corporis eloquentia ſine ullo vitiorum confinio contigiſſet. Qualis mea ſit Actio; & quid ipſe praeſtare poſſim, vel unquam praeſtiterim potius, judicent qui audiverunt. Id ſine invidia, ſine gloria etiam, poſſe dicere videor, nihil in omni mea actione mimici eſſe aut ſcenici; nec ullam vocis *modulationem* non Oratoriam, nullam *vocem fractam*, nullas

geſti-

gesticulationes, multo minus *molles*, (nisi hunc ipsum, qui me nunquam audivit, *Valerium*) animadvertisse mortalium quenquam. Calumniatur ergo hic rursum *Valerius*, qui ejusmodi mihi vocem, ejusmodi gestus assignat, & ex *Oratore Histrionem* facit. ipsam deinde artem deridendam propinat, & omnem meam, quam in commune juvenum bonum impendere studeo, operam, inutilem reddere nititur & infructuosam. Sed fallat eum saxo, & illos cum eo omnes, qui hanc mihi palmam detractum eunt. Neque enim artem hanc exercere, & in commune impendere commodum desinam, dum vires suppetat ille, & valetudinem prosperam, à quo bona ad nos dona descendunt omnia. Quam meam curam & operam, uti honestam, ita Reipublicae & Ecclesiae utilem, si agnoscere nolent homines hodierni, agnoscent Posteri. Nemo sane, nisi *Valerius*, artem hanc meam *Histrionicam* unquam vocavit, aut *gesticulatoriam*: à Mimo enim & Histrione tantundem abesse me puto, quantum hunc ipsum à bono Oratore *Valerium*. Quid vero de me sentiant homines, & quid de hac mea, uti tu vocas, *Histrionica* judicent, ex eorum ore qui audiverunt, ex eorum scriptis, qui ab aliis id acceperunt, & illorum ipsorum librorum, qui omnium manu teruntur, testimonio publico, nosse id potuisses, mi *Valeri*, & nosse te optime puto. Sed tanta in te arrogantia est, & φιλαυτία, ut tua id auctoritate evertere te posse existimes: tanta in te invidia & malignitas animi, ut illud in me non agnoscas, eleves etiam ac reprehendas, quod exteri homines & peregrini, ut nullo odio, ita nec ulla mihi amicitia cogniti, amant, laudant, ac pleno palam ore depraedicant. Atqui haec ipsa Exercitia, quae tu derides tantopere, publica, eo

ipſo in loco, in quo nunc es, & à primis Academiae fundamentis habita ſunt; & ab ampliſſimis & illuſtriſſimis Curatoribus, bono ſane ac prudenti conſilio, per Petrum deinde Cunaeum, doctiſſimum ac diſertiſſimum virum, ſunt revocata. Nunc in alia itur omnia: nunc diſputationes habent Hiſtoricas: nunc rixari amant, quam loqui; & Scholaſticam exercere eloquentiam potius, quam Oratoriam. Et quî fieri aliter poſſet, cum eloquentiam omnem deriſui habeant, qui profitentur? cum omnes Oratores Hiſtriones putent? cum eloquentiam non intelligant, qui alios eloquentiam docent? Vides, opinor, Lector, ex iis, quae hactenus diximus, iſtum Oratoris noſtri, quem adduximus, locum, non ipſum reſpicere poſſe, ſed alium quempiam: iſtum autem, praeter me, eſſe poſſe alium neminem. Reſpondet ad haec *Orator*, ſe neminem notare voluiſſe: Oratorio ſe more feciſſe; ita enim moris Oratoribus eſſe. quibus? *Cajis? Valeriis? Accinctis?* ita certe non ſolent boni, niſi cum de malis loquuntur. Scio Oratores res & perſonas extollere, ſe & facundiam ſuam extenuare: imprimis ſi perſona ſit talis, quae nulla laude indigeat, nullo ornatu Oratorio egeat, qualis haec fuerat laudatiſſima, & omnium praeconio major Regina. Quid autem facit hic noſter? dicit ſe ſine *inanibus verborum lenociniis*, ſine *pictis figurarum coloribus; ſine compoſitis fractarum modulationum, geſticulationumve mollium ſimulacris* eſſe dicturum. Quid haec ad Reginam? quid ad Orationem? quis unquam ita dixit? aliter dicere debuiſſet, ſi id voluiſſet. Vis exemplum? hanc ipſam meam Orationem funebrem vide, ut in re ſimili ſimillimum tibi exemplum adducam. Verba mea, ſub finem Exordii, ita ſe habent: *Quod dum facio, Audito-*

ditores, nolite existimare me vestram imploraturum benevolentiam. Promittit eam mihi frequens iste concursus: promittit subjecta materia. Quis enim non amet tam amabilem Principem, & suo vicissim amore non prosequatur, quae suo nos omnes amore est prosecuta? Nolite item putare me falsas ei laudes assignaturum, aut fucum ullum ac lenocinium in Ea extollenda adhibiturum, quae omnem falsum ornatum respuit atque contempsit. Idem dixi, quod tu, sed aliis verbis, alio modo. Quin & hac ipsa *lenocinii* voce, qua tu uteris, usus sum. Nemo tamen mortalium, quenquam meis hisce verbis perstrictum dicet: nemo, non aliquem, tuis. Mea omnia ad Reginam referuntur: tua, ad malos istos Oratores. Legat haec aequus Lector; utrumque locum perpendat; & suo ipse arbitrio suffragium ferat. Quamobrem, cum ista, quae examinavimus, Orationis verba, non auctorem ipsum, ut vidimus, sed alium quempiam, neminem vero alium, nisi me, aut me certe potissimum, spectare possint; justissimam omnino caussam videor habuisse, & me & artem meam, ab istius injuria hominis vindicandi; & quam malus, ac parum idoneus, tum ad scribendum, tum ad dicendum, fuerit iste Orator, brevi hoc Epigrammate ostendendi.

IN FRIGIDUM ORATOREM.

Conscendit cathedram Orator, pluresque per horas
Blaeso auditores enecat eloquio.
Quam varii gestus! quam pulchri! quamque decori!
Quae vocis gravitas, quod moderamen erat!

Frigidius nihil est hoc Oratore , nihilque
Languidius : betam dixeris , aut lapathum.
Asperius nihil est hoc Oratore , nihilque
Horridius : lignum dixeris , aut lapidem.
Nobile Lugdunum , Suadae domus, heu! ubi nunc est
Oris & ingenii vis prior illa tui ?

Quid in his verbis est, quod injuriam aliquis, aut convitium appellare merito possit? dico *frigidum* eum esse Oratorem & *languidum*, quantum ad stylum: *asperum* & *horridum*, quantum ad vocem & gestum: *blaesum*, quantum ad naturale ipsi vitium in loquendo. Risi exteriorem ejus eloquentiam, admirando, laudando: deploravi conditionem Academiae Lugdunensis, quae pro Cunaeis, Baudiis, Heinsiis, istiusmodi nunc Oratores ac Poëtas habeat; & eo ipso in loco eloquentiam doleo periisse, ubi olim floruerat maxime. Quod in his est convitium? quid non, uti vere a me dictum, ta & recte? Plus uno autem modo male se fidei hominem esse *Cajus* hic ostendit *Valerius*. Nolite convitium credere: confirmabo, quod dixi. Primùm hoc Epigramma semper in ore habuit, quasi nihil praecessisset, ego vero ultro eum aggressus fuissem: In nupera etiam carminum omnium editione, quae sane miror in lucem eum protrudere, & tam putida ac plus quam puerilia orbi erudito ostendere ausum fuisse, priore hoc meum loco collocat carmen, suae vero istum Orationis locum, ut & Graecam Elegiam istam, dissensionis omnis originem, praeterit ac dissimulat: Deinde titulum carminis alium facit, quam ego feceram; scripseram enim, *in frigidum Oratorem*, ille vero edi jussit, *in Blaesum Oratorem.* in ultimo versu fuit, *oris & ingenii*, ille autem *vocis* excudit. Non magna est dif-

differentia, ſed melius illud meum; alterum languidius; & illius certe non erat iſta immutare, quae exacte, & ſumma fide repraeſentari debent. De invidia vero, quam ex ultimis verbis apud ſuos creare mihi ſtudet Collegas, dicam epiſtola tertia. Huic autem meo, qualecunque ſit, Epigrammati repoſuit paullo poſt, aut reponi ab alio juſſit (dicit enim carmen ſe non feciſſe, omnia autem, quae in iſto ſunt carmine, ſubminiſtraſſe) acrem hunc ac mordacem Iämbum.

IN MORIONEM LOMBARDUM

Lucian. Sſeudoſoph. ἐλάνθανες ἄρα ἡμᾶς βάρβαρος ὤν.

D*Ic, Morio, Dic* Imperatricum Tibi *pag. 29.*
Quis Auctor eſt idoneus?
Thuſcuſne Ludio, aut Haruſpex quiſpiam,
Lombardus an Cognominis?
Nam quis alius Latinitatem finxerit
Tam barbaram, & Lombardicam?
Sed fallor. Ortwinis enim illa Gratijs
Debetur Eloquentia.
Hoc ex oleto prodiit Divinitas *pag. 33.*
Viſibilis in terris *Tua.*
Hoc prodierunt foetidae ſordes: quibus
Deeſſe *dum narras ſuis*
Regis *Gulelmi ſaepe* perſonam *inquinas* *pag. 15. & 12.*
Ipſam, *Miſelle Morio;*
Hoc Humilitatem *denique illam protulit,* *pag. 31.*
Qua Pectus Erectae Indolis,
Et mentis Heroina Maximae, tamen
Notatur abs Te turpiter.

 Sed

Sed Gratianis illud est Opus Bonum, *pag.* 19
Dignum Mehercle, Morio,
Quod iste nostris *denuo in* Provinciis *pag.* 8.
Manifestet *Ortwini fide.* *pag.* 18.
Sic ut *nihil*, sic ut *nihil*, sic ut *nihil*, *pag.* 25. *Ter, & alibi Saepissimè*
sic ut *nihil praeclarius*
Currentis anni *Phoebus ipse viderit.* *pag.* 16.
Hinc fortiori foedere *pag* 12.
Se junget Ortwino deinceps jam suo,
Et caeteris ejus notae:
Bonum relinquens Tullium Oratoribus,
Quos Frigidos *Bellus vocat.*
At Gratianae Doctor Eloquentiae,
Seu Longobardae mavelis,
Historia quae Te fovit? an spurcissima
Viterbiensis Annij?
Panthaea, Cyri *an inde Conjux est Tibi?* *pag.* 24.
Sic est, sues sic certe olent.
Sed merda Te quaecunque quondam paverit
Quocunque sterquilinio.
Nunc in Theatrum prodis undique comtulus,
Venustus ut Nepotulus,
Ut pullus ipsius Diones scitulus,
Quem feminae certatim ament.
Hic par Bathyllo post Precatiunculam
Famam tueris bellule.
Et arte gestis omnium pulcherrima,
Placens potissimum Tibi.
Quin fretus ergo mimicis his dotibus,
Contemnis istos Frigidos,
Tuamque gesticulariam qui non amaut,
Non assis aut flocci faeis?

Unum

Unum est tamen, Tibi ferendum neutiquam,
Tantae quod Artis Principem,
Quod Archimimum Te, putet se vincere,
Palamque jectet DIaBOLUS;
Hic dignus, ira Morionis qui cadat,
Tuamque sentiat manum.

Rogo candidum Lectorem, an proximo meo Epigrammate, etiam si aggressor fuissem, & nihil omnino praecessisset, tale quid ab isto homine promeritus essem. Plena sunt maledictis & convitiis omnia. Nunc *Morionem* me vocat; ob *gesticulationum mollium simulacra*, credo; nunc *Lombardum*, quia *Petrus* vocor; adeo omnes *Petri* huic nostro *Lombardi* sunt: Argutum hominem! Nunc *Ortwino* me *Gratio* comparat, barbaro homini & obscuro; quem *epistolae* illae *obscurorum virorum* respiciunt Huttenianae. Hinc ab hoc *Gratiana* mea appellari eloquentia debuit, ut à *Lombardo Lombardica*. En merum frigus! Nunc *Mimum* me vocat, & *Archimimum*, &, quasi id parum esset, etiam *Bathyllum*. *Olleum* praeterea & *foetidas sordes, merdam* & *sterquilinium* meam istam vocat Orationem: me vero *suem*. Quid est *Scurram* agere, si hoc non est? *Scurrilia* ista sunt verba, nec ulli honesto viro convenientia. Quid & *comptulum* me appellat & *venustulum*, & *pullum Diones scitulum*, quasi & hoc mihi fraudi esse deberet, si aliquantulum eo essem nitidior. Artem denique ipsam, *dotes mimicas* & *gesticulariam* nominat. Vides, Lector, verba ἁμαξιαῖα, hoc est plaustra convitiorum & scommmatum. nunquid justa de caussa mihi irascitur auctor istius carminis, quod eum appellaverim *scurram?* quo alio nomine, quaeso, fuerat appellandus?

 uter

uter nostrum, rogo te Lector, ut jam aggressor ego fuerim primus, prior dixit convitia? uter alterius famam laceravit prior? quid meum istud *Blaesus* ac *Frigidus* cum hisce commune calumniis habet? sed, ut nulla in eum scommata jeci, ita nec laesi prior. Diu impressa fuit ejus Oratio, antequam meum illud Epigramma conficerem. An vero iste me spectet locus, praeter ea quae superius dicta sunt, testis est hic Iämbus: qui nihil aliud est, nisi istius explicatio loci, & interpretamentum. Vidisti, ut opinor, Lector, malignum hominis animum & virulentum: nunc candorem ejusdem vide, & sinceram fidem. Cum sex istis versibus hujus iämbi posterioribus unum è Collegis suis aperte nimis notatum fuisse animadverteret, (qui ob hoc unum, quod melior ipso esset Orator, *Diabolus* ab eo meruit appellari; adeo non *Vatiniano*, sed *Diabolico* plane prosequitur odio, quicquid Oratorium dicitur) partem istam postremam tacite omisit, nec in adspectum hominum lucemque proferre sustinuit. Sciunt autem partem istam annexam fuisse, & eadem manu conscriptam, quicunque hoc apud me carmen viderunt: & scire etiamnum possunt, quicunque illius autographum videre desiderabunt. Dubium vero non est, quin rectum ad me exemplar fuerit missum, ac genuinum, cum ad me potissimum verborum illorum sensus pertineat. Pro carmine tam atroci & infami, hoc breve illi Epigramma reposui.

IN BATTUM
ORATOREM & POETAM.

PEssimus Orator, nec non & pessimus idem
Nostri Poëta saeculi,

Oste

Ore ſuam blaeſo Reginae in funere nuper
Oſtendit eloquentiam.
Nunc palmas, Gulielme, tuas ſermone pedeſtri,
Verſuque cantat flebili.
O caput inſulſum, nec ſacra ad talia natum!
Quid inde captat gloriae?
Orator fuerit melior, meliorne Poeta,
Dat judicandum Poſteris.

Quid ſcommatis in hoc Epigrammate, aut amaritudinis? *Battum* voco, non *Blaeſum*, ut ipſe modo, quod ineptum foret. Habebat autem Battus τὸν δεσμὸν τῆς γλώσσης vinctum ac ligatum, nec ſatis σαφῶς loquebatur, ut olim Claudius. dixi *pedeſtri ſermone*, & *verſu flebili*, id eſt humi repente & miſerabili, victoriam Regis decantaſſe. dixi eum *inſulſum* fuiſſe, qui verſus faceret, ad quam eloquentiae partem natus non eſſet. *Peſſimum Oratorem* & *Poëtam* eſſe. Vera autem iſta ſunt omnia, nec ulla in iis calumnia eſt. Utcunque enim pejores illo eſſe poſſent Oratores & Poëtae, quis uſquam eloquentiae Profeſſor aut languidiores Orationes compoſuit, aut pejores verſus? ſi alterius cujuſdam artis ac diſciplinae Profeſſor iſta feciſſet, tolerari poſſent utcunque: in Eloquentiae Profeſſore quis haec ferat? *Inſulſum caput* vocavi: duriuſculum eſt. is tot conviciis & maledictis me inceſſit, ut in ſuperiori carmine vidimus, unum vero verbum duriuſculum à me prolatum ferre non poteſt? Et quis eſt *inſulſus*, niſi qui ſine ſale & judicio eſt? tu illum hominem judicium habere exiſtimas, qui iſtiuſmodi verſus facit? ego ſine ullo cum judicio, inſipidum & inſulſum, ac plane ἄναλον puto. In fine Epigrammatis, ubi acumen eſſe deberet, nihil aliud dixi,

niſi

nisi eum expendendum Posteris dare, *meliorne Orator an Poeta* fuisset. Quid minus acerbe dici in quenquam potest? Quomodo autem ille se gessit? duas continuo Elegias, quasi una non sufficeret, & mordacem rursus Jämbum misit, & omnes in me irarum habenas relaxavit. Lege, quaeso, Lector, & ad infantiam hominis, & insignem ejusdem malevolentiam obstupesces.

PETRULLUS BAVIUS AD PHOEBUM.

Prima dicte mihi, summa quoque dicte Camoena
Semper, nam solitum est illud, Adeste dij.
Nuper, Phoebe, tuam venit novus Hospes ad aram,
Quam tenui in Batavis hactenus unus ego.
Non ego de multis unus, sed quem super omnes,
In coelum & Scenam jam pia fama vehit.
Qui nihil adversa dixi fecique Minerva
Unquam, qui toties omnia puncta tuli.
Et bene gesticulor, bene fracta fibilo voce,
Et varios digitis mollibus orno sonos.
Ut conferre ausit mihi se neque ludio Circi,
Histrio nec tantis artibus alter agat.
Que tamen o quales mecum quantaeque peribunt
Cum quali & quanto (proh dolor) artifice!
Adde, quod & Vates vitioque immunis ab omni,
Cum volo, eelsa inter nubila condo caput.
Nec me putidior quisquam est aretalogus usquam,
Qui melius laudes praedicet ipse suas.
Nec acile invenies, qui mecum insaniat aeque,
Aut insana aegri somnia plura crepet,

Et

Et recte. ſanos nam dudum, Phoebe, poëtas
Pegaſeo excluſit flumine Democritus
Nonne igitur ſolus mereor tuus eſſe ſacerdos?
Carmina uti ſolus condo linenda Cedris.
Quin alios ergo, ac imprimis protenus arces
Illum, quem noſti, limine, Phoebe, tuo,
Qui proſa atque metro mecum certare protervus
Audet, & irridet meque measque minas.
Acriter inclamem licet : Aevi peſſime noſtri
Scriptor, cede mihi, cede Helicone meo.

PHOEBUS PETRULLO.

AT tu cede loco, caput o ſanabile nullis
Anticyris : adytis, morio, cede meis.
Geſticulatores doctrinae reſpuit ara;
Reſpuit inſanos, & procul eſſe jubet.
Cede meis, pecus ignavum, penetralibus, audin'?
Quid reſtas? patriae pondus inane tuae.
Non ſatis eſt dixiſſe : ego primus vertice Muſas
Deduxi Aonio primus ego in patriam.
Cum te dira fames argenti vexet habendi
Jejunum, & miſere livor adurat iners.
Paucula componas cum carmina ter quater anno,
Quae ſine me & Muſis carmina ſolus amas.
Quae ſunt nervorum, quae rerum expertia prorſus,
Tinnula verborum naenia, frugis inops.
Quid tibi cum Latio, quod non intelligis? hirtis
Conſpurcas faede quid mea ſacra modis?
Cede locum melioribus, & te protenus aufer
Hinc uſque in mediam, peſſime, *barbariem.*

IN PETRULLI BAVII FRANCULAM ELEGANTIAM.

Petrullus iſte Morio,
Nec non & idem *ludio* ,
Nec non & idem *cyclicus*,
Nec non & idem *barbarus* ,
Ut viribus *qui* mutuis
(*Junctis Latini dicerent*)
Captam Namurcum praedicat.
Nec non & idem *fatuus*
Noſtros ait victoriae
Fuiſſe teſtes Gallicae ,
Dum narrat , *ô quam fatue* !
Ut nos eramus illius.
Sed & ſibi contrarius,
A Galliae nam Principe
Captam *Namurcum* fortiter
Et occupatam *fraudibus*
Aurique multo pondere ,
Non Marte *tradit* & manu.
Haec vera ſunt illi ſimul.
O morbidum ô ſtolidum pecus !
Et hic tamen tam fatuus ,
Et tam ſoloecus peſſimos
Vocat poetas, *Rhetores*,
Quos odit & metuit ſimul.
Sed nos quid illi fatuo
Quid gratiarum reddimus ?
Mittatur in morboniam,
Ut morio inſulſiſſimus ,
Cui pectus inſanabile.

Quid ineptius & inſulſius ; quid atrocius & inclementius ab infimae ſortis homine aliquo , nedum à viro ullo litterato , proferri poſſet ? Et haec oſtendere audet viris eruditis, ac palam edere ? Stultos profecto homines omnes , ac ſibi ſimiles putat , qui cum patientia quenquam iſta hominem legere poſſe exiſtimat. Sed ineptias omittamus : injurias & convitia videamus. Primo *Petrullum* me vocat. Dicit ſe nunquam me nominaſſe. Quis ergo eſt iſte *Petrullus ?* cujus eſt iſta *Francula elegantia ?* res in aperto eſt , & quivis , quid velit, videt. Haec autem eſt *elegantia* non *Petrulli* , ſed *Caji;* non *Francula* , ſed *Valeriana* , tales enim ſales amat *Valerius*, homo minime inſulſus , eoſque Atticos putat. At id convitium non eſt. Non dico convitium eſſe, *Petrullum* dici pro *Petro ;* puſillum eſſe , non magnum : aliquid tamen impuri ſub iſtis vocabulis latet , ac ſcurrile plane dictetium eſt. Dicit porro me *geſticulari*, &

& fracta voce, serpentis instar, *sibilare*, & *digitis mollibus* sonos meos ornare. Quid hoc est aliud, quam quod in Oratione de *Fractae vocis* & *gesticulationum mollium simulacris* dixerat? Ecquis dubitet, quin unum ista & eundem respiciant hominem? quem autem, nisi me; quem hîc certe respicit? quem palam nominat? quem in subsequentibus versibus *Ludionem* & *Histrionem*, *Morionem* deinde & *Gesticulatorem*, *inane patriae pondus*, *Cyclicum*, *Barbarum*, *fatuum*, *morbidum*, *ignavum* (nota, quaeso) ac *stolidum pecus* appellat? Quis non è *Morbonia* venire hominem putet? Quis non releget *Anticyras*? nisi *sanguinem* illi *mittere* consultius foret, *cui non profuturum sit ullum Elleborum*. Tene ego hominem sanum putem? tene in honore ullo ac dignitate positum virum? *quae te intemperiae agitant?* Dedecus es & opprobrium Professorii ordinis. Ego vero ista generoso animo concoxi omnia, nec quicquam illi retribui, nisi hoc breve & exiguum Epigramma:

Maeonium, quo non vatnm praestantior alter,
Sacrilego laesit Zoïlus ore senem.
Carmina Virgilii, quo Mantua gaudet alumno,
Roserunt Anser, Maevius, & Bavius.
Quid mirum, cum passa suos haec nomina Momos,
Carmina si rodat nostra P......

Quid modestius reponi potuit, pro tot praesertim convitiis? Comparo te, inquis, *Zoilo* & *Momo*; *Anseri*, *Maevio*, *Bavio*. Quid tum? scommata ista sunt? aut quicquam commune habent cum tuis? Meliore sane jure te *Bavium* dixi, quam tu me. At nomine me compellasti. Quid tum? una tantummodo littera te nomi-

 navi;

navi; cum tu me & nomine & praenomine appellare non dubitaveris. Si tamen & tuum nomen integrum posuissem, quid *reddidissem* aliud, nisi *par pari*? Aliud eodem tempore Epigramma conscripsi, nondum visum *Valerio*. Id hoc loco libet adjungere, ut novo eum excipiam ferculo.

IN MALOS POETAS.

Venimus ad summum. Quis non protrudere versum
Tentat, & in vatum nomen habere choro?
Hactenus ignoti, vilissima turba, Poëtae
Conantur montem scandere Pegaseum.
Jensius elumbes, sine mente, sine indole, versus
Consuit, ille tuum, Belgica terra, decus.
Carmina nullius veneris conscribit, & artis,
Ille tibi notus, Phoebe, Perissonius.

Quodnam etiam in hoc versu convitium est? aut quid in eo offendere *Valerium* nostrum potest? Quod inter malos eum Poetas retulerim? id ipse fecerat prius, cum se publice deridendum praebuit, & tam putidos versus orbi litterato non dubitavit ostendere. Quod postposuerim Jensio? Pessime sane scribit *Jensius*: pejus omnino *Perizonius*: qui Eloquentiam publice profitetur; qui, si bonos facere versus non posset, à malis certe abstinere debuerat. Haec cùm ita inter nos gesta essent, & nonnulli me hortarentur, ut responderem huic homini; alii vero, ut generoso contemptu negligerem calumniatorem, a quo facta mihi injuria exolesceret facile, si sperneretur; statui posteriorum sententiam sequi, si nihil moveret amplius Adversarius meus; & ita plane me facturum esse, uti & feci, promiseram Amplis-

plissimo Bergio, qui ad pacem me hortabatur & concordiam, cum in Lugdunensi essem urbe nuperius. In hoc rerum statu res erat litteraria nostra, cum novo, & puerili plane Epigrammate me lacessit eorundem iste carminum auctor. Quod cum ille divulgare non dubitaverit, non est, cur ego pudori hominis aut honori consulam. Accipe ergo, Lector, & lege.

Laesisti prior, invidiae me dente lacessens,
Hunc mea rodentem me retudisse puta.
Si bene dixisses, mansisses F....... at nunc
Ut sapias, opus est te tua nosse mala.

Risi ad conspectum tam putidi carminis, & ostendi inter alios viro hujus urbis primario, qui a puero confectum putabat. Dicit, *me priorem* ipsum *laesisse.* agnoscit ergo se *laesum;* agnoscit *se* esse *laesum*, id est *Perizonium*, qui ista scribit, & eadem illa scripserat superiora, & à me scripta retuderat. dicit, se *priorem laesum.* abunde id in praecedentibus refutatum puto. addit, me *Francium mansurum fuisse*, nisi id fecissem. ergo nunc *Francius* non sum. Vereor, ut tu sis amplius *Perizonius*, & ne pro isto in posterum nomine *Valerius* appelleris *Accinctus.* Cum hisce itaque telis me lacesseret iste continue meus ex insidiis inimicus; neque, quis ille esset, aut à quo ista venirent, certi aliquid possem concludere; multo minus incerto aliquid homini respondere; & nunc hunc pro auctore acciperem, nunc vero alium; dubius tandem & incertus, auctorem istorum carminum *quicunque* tandem is esset, *qui intra suas se latebras occultaret*, & ex occultis in me insidiis saltum faceret, ut aperto mecum Marte contenderet, hoc Epigrammate meo ultimo provocavi. IN

IN SCURRAM LITTERARIUM,

Intra suas se latebras occultantem.

OCculto quicunque stylo me pungis, & in me
Illita Tartareo carmina felle vomis;
Si quid habes animi, cæcis erumpe latebris,
Et vero tandem nomine bella move.
Displicet armorum genus hoc mihi: sed tamen adsum,
Martis Apollinei si tibi pugna sedet.
Quid latitas, pavidumque antro caput abdis opaco,
Dirus Aventino Cacus ut ante jugo?
Turnus ubi est, ubi nunc Mezentius? acer & ille
Spiritus ingenii, scurra proterve, tui?
Rumpitur, éque suis gestit prodire cavernis
Bestia, sed comites prodere, seque, timet.
Si pergis, nomenque premis, nihil ipse reponam
Nec tibi, nec sociis, improbe scurra, tuis.
Si pergis, nomenque tuum mihi pandis, Iämbos
Armabit rabies in tua fata meos.

Hic vero novas tragaedias concitat istorum versuum, auctor dicam, an defensor, *Valerius* quidam *Accinctus*, vero & suo nomine, *Jacobus Perizonius*, & sese à me *scurram* appellatum clamat. Ego vero nego & pernego. *Auctorum* istorum carminum, *quicunque is esset*, *scurram* vocavi *litterarium*. Is si est *Perizonius*, ipsum designasse me fateor: si alius, alium. Negat autem iste, se *Auctorem* esse; *scurram* vero illum esse, non negat; & in se scomma illud jactum affirmat. Quomodo haec cohaerent? At tu *auctorem* me putasti, inquit, cum haec scriberes. Nego, *Valeri*. Incertus enim tum plane eram, & dubius, neque deliberati mihi quicquam consilii erat. Primùm credebam observationes istas grammati-

maticales abs te esse profectas : carmina vero ipsa ab alio esse composita. Video autem nunc non falsam adeo istam meam opinionem fuisse. Fateris enim in nupera tua epistola , te materiam istam omnem suppeditasse. Pluribus ista te vitia ostendisse dicis , ne de uno aliquo suspicari quis possit. rogo , an id ore sit factum , an scripto? Si ore, nemo tam fidelem memoriam habet , ut singula ista cum pagellarum etiam numero annotata retinere memoria possit. Scripto id itaque factum est : hoc est certo alicui homini tuas istas observationes dedisti, ut inde ille versum conficeret ; tu autem vere dicere posses, eos te versus non confecisse. Iste autem qui illos fecit videtur esse Jensius noster , vel vester potius, qui lubentissime istas in se partes suscepit , ut ultionem de illo sumeret scilicet, qui tot mendas in Graeco ipsius versu se ostensurum contenderat. Quod si in hoc fallor, vero simillima certe ista suspicio est. In eo autem non fallor, & hoc verum esse contendo, te auctorem istorum versuum probe nosse. Aut ergo es ille ipse, aut eum, qui est, bene cognitum habes. Cui si tu observata ista tradidisti, ut multum est vero simile , tu ipse pro auctore habendus es. Nam, *quod quis per alium facit , ipse facere intelligitur.* Quod si nec ipse fecisti, nec argumenta ulla auctori suppeditasti , cur carmina ista defendis , qui auctor eorum non es , non aliter ac si auctor esses ? cur in te dictum ais , quod in carminum istorum auctorem est à me dictum ? non video quo pacto extricare te possis. Ego vero auctorem istorum carminum *Scurram litterarium* appellavi , & appello nunc etiam. *Scurram* enim istum hominem esse suo jure ac merito satis firmis me argumentis ostendisse existimo. Ego hominem istum , nullo addito nomine *scurram* vocavi : tu, qui *scurram* te negas , manifesto me nomine

mine *ſcurram* vocas. Quid eſt *ſcurram* eſſe; quid *ſcurriliter* ſcribere; niſi hoc ipſum? Provoco ad aequum Lectorem, & eos omnes, qui ſine praeconceptis opinionibus litem iſtam litterariam noſtram perpendere dignabuntur: in quorum ego judiciis acquieſco.

Oſtendi hac Prima, ni fallor, Epiſtola, uter noſtrum aggreſſus, uter calumniatus ſit alterum prior; & ſuo eum nomine appellarit: uter pro *Aggreſſore* & *Calumniatore*; *Scurra* denique, & homine parum honeſto, haberi ab omnibus debeat. Duas alias me ſcripturum promiſi epiſtolas, & promitto rurſum: illud vero nunc addo, me nullas ſcripturum praeterea alias. Quare, ſive quieſcat Adverſarius meus, quod moris illi non eſt; ſive reſpondeat, uti ſolet; ego nullo ei verbo reſcripturus ſum quicquam. Ad ea reſpondebo tantummodo, & ea ſola, quae jam impreſſa ſunt publice; ad verſus nempe iſtos, & Epiſtolam nuperam. Si quid adferat novi; ſi alias moveat lites; quieſcam ego, & Pythagoricam obſervaturus ſum ἐχεμυθίαν. Nolo enim, ut perpetuae iſtae ſint contentiones, & ex una in aliam, ut fieri amat, ut ab hoc ipſo factum, incidamus rixam. Cautior ſane, ac ſuo ſatis exemplo edoctus eſſe debuerat Heros noſter. Meminiſſe eum oportuerat etiamnum, quid in Friſia actum eſſet: & quàm inſignem in Franequerana tum Academia famae ſimul ac rei familiaris jacturam feciſſet. Sed amat videlicet homo iſte litterarias rixas, quas fovet, ac protrahit, &, quantum in ipſo, ſempiternas facit. Haec ut illum ſpes fallat, ego amputare litem omnem decrevi: & jam nunc amputo. Quod ut verum eſſe oſtendam, hujus ipſius Epiſtolae finem facio, & ligitioſum iſtum valere *Valerium* jubeo.

E R R A T A.

Pag. 42. Med. pro *haberi poteſt* l. *poſſit*. Pag. 53. Med. pro *olleum* leg. *oletum*. Ibid. paull. poſt, pro *quid &* leg. *quin &*. Pag. 56. lin. penult. pro *Nec acile* l. *Nec facile*. Caetera quivis per ſe corriget.